


IVSTI RYCQVII
CANONICI GANDAVENSIS,
CIVIS ROMANI,
DE
ANNO SECVLARI
IVBILEO
SYNTAGMA:
in quo
Plurima SACRÆ ANTIQVITATIS *eruuntur, explicantur, & illustrantur.*

AD SANCTISS. D. N.
VRBANVM OCTAVVM
P. O. M.









ANTVERPIÆ,
Apud Guilielmum à Tongris.
Anno CIƆ.IƆC.XXV.



SACROSANCTÆ
ECCLESIAE,
ROMANÆ--CATHOLICÆ
VNICÆ. ET. ELECTÆ.
IESV--CHRISTI
DEI. AC. DOMINI. N.
SPONSÆ,
SANCTISSIMI
INDVLGENTIAR. AC. REMISSION
THESAVRI
FIDELISSIMÆ CVSTODI
ET
BEATISSIMO. PATRI
SACRATISSIMOQ PRINCIPI
VRBANO OCTAVO
PONT. OPT. MAX.
EIVSDEM. DEI. AC DOMINI. N.
IN. TERRIS. VICARIO
EIVSDEMQ. THESAVRI
FIDELISSIMO. DISPENSATORI
NOVI.SECVLI. IVBILEI.CONDITORI
COMMENTARIVM
ISTVD. SCRIBEBAT
D. D.
IVSTVS RYCQVIVS
DEVOTVS
HONORI. MAIESTATIQ. EORVM.

S. IRENÆVS
LIBRO III.
ADVERSVS VALENTINVM,
DE
ROMANA ECCLESIA.

AD. HANC. ENIM. ECCLESIAM PROPTER. POTENTIOREM. PRINCIPALITATEM. NECESSE. EST. OMNEM. CONVENIRE. ECCLESIAM. HOC. EST. EOS. QVI. SVNT. VNDIQVE. FIDELES. IN. QVA. SEMPER. AB. HIS. QVI. SVNT. VNDIQVE. CONSERVATA. EST. EA. QVÆ. EST. AB. APOSTOLIS. TRADITIO.

ILLV-

ILLVSTRISS.
A C
REVERENDISS. D.
D. FRANCISCO
BARBERINO
S. R. E.
CARDINALI AMPLISSIMO.



Xpriment alij alia Honestatis aut Vtilitatis exempla FRANCISCE, CARDINALIS ILLVSTRISSIME, *ego apud* CÆLESTES PRINCIPES *cælestia imitari conabor. Sicuti enim* DEVM *accessuri Diuum aliquem piè adhibemus, precum nostrarum internuncium futurum; ita Libellum hunc,* DEI VICARIO SANCTISSIMO *offerendum, prius ad Te mittere placuit, vt* Intercessoris *ei vice fungereris. Quod etsi saluâ Dignitate Tuâ petere non liceat, per Humanitatem, tamen, quam incredibilem in Te omnes experiũtur, impetrare forsitan licebit. Enimuerò si frontis nostræ teneritudinem respicio, & doni ipsius tenuitatem, magno ali-*

quo Patrocinio indiget vt tantæ Maiestati repræsentetur: si facti ipsius impudentiam, nec veniam fortè merebimur, nec fauorem. Sit tamen RYCQVIVS *impudens, sit* ἀγροδίαιτος, *& inurbanus; dum per Te* VRBANO *illi* MAGNO *concilietur, cuius Fauorem impetrâsse, præ regno & diademate, vel modestissimus quisque existimauerit. Accedebat altera caussa inscripti in Titulum* AVGVSTI TVI NOMINIS. *Vindicas enim tibi omnia mea, sicut ipsum Me nexu & mancipio pridem Tibi vindicâsti. Quid dico odiosa illa nomina, & ergastulum ac seruitutem redolentia? Amabili potiùs Parentûm Iure* TVVM *esse voluisti, quicquid è Mineruæ nostra fœtu olim esset proditurum. Eximia certè ea Beneuolentia quam Litteris, earumq; studiosis, in amplissimâ fortunâ hactenus impendis, adeò omnes Musis operatos* ἰσοῤῥόπῳ *quodam adfectu Tibi obstringit, vt Barbari nomen mereatur, qui id nesciat; Impij, qui obliuiscatur, aut neget. Illustre scilicet ac domesticum* SACRATISSIMI PRINCIPIS *exemplum laudabiliter imitatus, cuius Aula, velut Prytanæum; cubiculum, Mineruæ sacrarium; pectus, Eruditionis ac Sapientiæ Templum; vita denique omnis, Innocentiæ ac Virtutis lucidissimum speculum, fuit.*

Vt

Vt non sine eximio Naturæ ac Diuinæ Largitatis miraculo, alterum in altero vigere, mutuisq; Virtutibus efflorescere, Generis Humani censura fateatur. Huius Benignitatis cùm me, hominem licet imi subsellij, in PVBLICA FELICITATE *exsortem esse nolueris; sed eas in me Beneuolentiæ Tuæ strictu-ras emiseris, quæ pleniores radios præsagire videbantur; ingratus certè essem, & ineptus, nisi quantum in me studij, facultatis, ingenij, opum est, communi formulâ,* TIBI, AC SANCTISSIMO PATRVO, DICAREM, ET CONSECRAREM. *Quod nemo displicere posse* SAPIENTISSIMO PRINCIPI *crediderit, qui modò insigne eius de Te præiudicium non ignorârit. Collato enim propriæ* PVRPVRÆ *Honore Virtutes Tuas, quas olim nascentes aluit, & alendo formauit, vniuerso Orbi æstimandas, omniq; officiorum genere venerandas, proposuisse cognoscet. Quam Dignitatem nequis Necessitudini datam, aut immaturis annis festinatam calumniari auderet; grauissimis dein curis admotum parem Te iis ornamentis ostendit, quæ, vel si necessarius non fuisses, impetrare eâ ætate à cordatiore quouis Principe poteras. Eâ igitur fiduciâ erectus Commentarium hoc, quod Iure* PONTIFICIS MAXIMI *est, cuius hic*

Iura & ECCLESIÆ *defendimus*; *Tuum etiam Merito ac Libentiâ*, GEMINÆ AVCTORITATI L. M. INSCRIBO, DEVM *obtestatus, vt iste quod Ritu Christiano* IVBILEVM *condet* SECVLVM *feliciter expleat*; & *Tibi, vel* de nostris Annis, *Annos ad vitam quamplurimos adijciat*. *Sic vouebam apud Belgas* XV. *Kal. Octob.* ∞. IↃC. XXIV.

ILL^MAE. AMPLITVDINI TVÆ

ÆTERNVM CLIENS,


IVSTVS RYCQVIVS.

BENEVOLE

ET

CHRISTIANE

LECTOR.



Ihil minùs in animum induxeram quàm de ANNO IVBILEO aliquid commentari: quòd eam diuinis studiis reuerentiam semper exhibui; vt ea illotis manibus non temerè adeunda, aut imperitiâ cuiusquam profananda, hactenus existimauerim. Excitatus tamen exemplo fui V.C. STEPHANI VINANDI PIGHII, qui in aureolo, quem HERCVLEM PRODICIVM, inscripsit, Libello viam ostendisse videbatur, quà pedem cuiuis tutò figere liceret per illa alta & *auia* MYSTERII IVBILEI, *nullius antè*, è Musæâ nostrâ classe, *trita solo*. Hunc ego virum cùm scirem omnem ætaté in ROMANÆ HISTORIÆ, ac Transmarinarum Elegantiarum, cognitione transegisse, neque ab hoc argumento abhorruisse; *Lucret.*

† 5 mihi

mihi quoque ſimilibus ſtudiis, at non pari ſucceſſu, hactenus occupato, aliqua eius paullò diffuſiùs explicandi voluntas inceſſit. Huc accedebat Amicorum ſtimulus, & cohortatio, neminē è Belgis noſtris fuiſſe qui ſeriò rē iſtam egiſſet: eos quoq; qui alibi ſcripſiſſent, etſi viros prçclariſſimos, aut tam prolixè, aut ſcholaſtico adeò more in eâ eſſe verſatos, vt pleroſq; qui vel occupatiores, vel delicatioris paullò guſtus eſſent, à ſui lectione arcuiſſe viderentur. Quibus eò libētiùs exorari me ſum paſſus, quòd aliqua hîc paſſim tractāda occurrebant quæ nō primi ordinis Senatorē in ſuffragio ferendo, ſed è minore ſubſellio velut *abortiuum* interdū requirebant. Vbi verò quid ſublimius occurreret, eò legentem dirigi poſſe vnde oraculum acciperet, vel è Theologorū τῶν πάνυ ſcriptis ſuccidaneam vocem poſſe implorari. At quid facerem? inſtās erat iam ANNI SACKI tēpus, & profectio in Vrbem denuò ſuſcipiēda pauculos ſtudiis menſes, immò hebdomadas, reliquas faciebat. Nihil in ſcriniis congeſtum quod huc faceret, nihil in aduerſariis collectū, quod ſubſidio eſſe poſ-
ſet.

... in. Octauio c.35.

excellentium.

ſet. Subſidium itaque omne in feſtina-
tione fuit: quæ quã periculoſa ſit in In-
genij rebus è ſententiâ Appuleianâ diſ-
cimus, *Non poſſe quidquã vnà & Celeritatis
gratiam habere, & Perfectionis*. Solis id for-
tunatis contingere quondam credidit
Græcia, quæ τὰ τῶν εὐτυχούντων παιδία τρίμηνα trime-
prouerbio celebrauit. Sicuti ergo CÆ- ſtres fe-
SAR, Ducum expeditiſsimus, celeritatẽ licium
confecti belli tribus verbulis denota- partus.
uit, VENI, VIDI, VICI; ita mihi de Scripto *Sueton.*
hoc meo adeò feſtinato pronunciandũ *Cæſare*
puto. CONCEPI, CONSCRIPSI, CONFECI. *Plutarc.*
Sciunt enim Amici, qui omnia mea *in eius*
norunt, adeò præproperè ac feſtinãter *Vita.*
σύνταγμα iſtud à me conſcriptũ, vt eadem
operâ concinnandum & abſoluendũ, &
operis Typographicis, in pẽſa cottidia-
na, diſtribuendum fuerit. Quæ tamen
non ſic accipi à quoquam velim, quaſi
vel Ingenij laudẽ excuſatione illâ quæ-
ram, vel celeritatis prætextu Coronam
ex Olympicis auferre coner; ſed id po-
tiùs, ſi quid mihi vitij vel erroris exci-
derit, vt ſanè homo ſum, & humanè
labi poſſum, eò faciliùs veniam apud
candidiores & æquiores Iudices impe-
trem, quò minùs rebus neceſſariis in-

ſtructus

ſtructus ad ſcribendũ acceſſi. Neq; hoc ſilendum fuit Sectariorum quorumdã cauſſâ, qui cùm aliquid in hoc genere à quoquam noſtræ conditionis homine editum vident, velut HERCVLEM, vel ACHILLEM, aut (ſi noſtris exemplis vti
propu- malumus) DAVIDEM quemdam προμάχον,
gnatorẽ. vniuerſo partium nomine delectũ, pro-
1. Reg. 17 dire credunt, qui Regiâ armaturâ inſtructus in campum veniat, bella populi Iſrael aduerſus Philiſthæos depugnaturus. Sincerè hoc, ſi quid vmquam, dico & ſcribo, ſanctèque deiero, priuatâ operâ & auctoritate prouinciam hãc à me ſuſceptam: meos eſſe iſtos *lapides*, è ſicco Ingenij noſtri *torrente* deſumptos: meam hanc operam, meum ſcriptum, atque inſtitutum. Et ſanè, vel me tacẽte, ECCLESIA hoc vniuerſa proclamat, tot clariſſimis Ingeniis diſtincta, tot Immortalium Virorum ſcriptis, in hoc etiam argumento, ditata, vt ego in tãtâ luce vix Vmbræ locum, aut inter tot Aquilas vix graculi nomen inueniam. Mea ergo vitia ſint, mea quæ parum ſi
errata. fortè caui σφάλματα.

Æneid. 9 ——— *in me conuertite ferrum,*
O Rutuli.

Si

Si quid tamen paullò rectius etiam ſic præcipitanti exciderit, DEO ſint gratię, omnis Sapientiæ auctori; & ECCLESIÆ; cuius Honorem vitâ ipſâ chariorẽ habeo, decus & vtilitas. Et hæc quidẽ de instituto noſtro ſatis; nunc de Opere ipſo ac Styli charactere paucula monebo. Opus totum in XXV. Capita partitũ eſt, vt, vel ipſâ Diuiſionis methodo, quoto ANNO IVBILEO conſcriptus ſit, Liber oſtendat. SYNTAGMATIS nomen pro titulo habet: non quidẽ ἀπρέπως [inuenustè.] meo iudicio, in variâ iſtâ ac miſcellaneâ rerũ diuerſiſſimarum συντάξει [compoſitione.]: in quibus nihil magis laborandum, quàm vt ordine quæq; ſuo, ac ſerie, diſpoſita habeãtur. Breuitatem in eo noſtrã fortè quidam culpabunt; ſed ſic corrigere aliorũ prolixitatem volui: atq; ideò ſubinde hanc ſpontaneam, ſubinde neceſſariã, fuiſſe experiẽtur. Quædam namque de induſtriâ breuiùs poſuimus, iam toties vulgata, ac ſcripta, neq; ſine tædio aut nauſeâ legentium repetenda: alia, ſi licuiſſet, paullò diffuſiùs explicare voluntas fuerat, niſi librorum ſupellex (quos magno ad ſcribendũ adiumento eſſe docti nôrunt) volentem deſtituiſſet. Ex tãto

enim Scriptorum numero, qui in Italiâ, & alibi, de ANNO SACRO Commentarios ediderunt, vix vnum & alterum inſpiciendi mihi facultas fuit. RVTILII certè BENZONII, EPISCOPI LAVRETANI laudatiſsimũ in hac re volumen, etſi diligenter conquiſitũ, nanciſci non valui: quod ſanè præclaro nobis vſui atq; ornamento eſſe potuiſſet, digitumq ue ad ea intendiſſet, quæ nũc aliqui eſſe prætermiſſa fortaſsis indignabuntur. Hoc igitur infortunij noſtræ quoq; ſcriptioni acceſsit: quò minùs mirãdum ſi, ſine Mercuriis Vialibus, εἰς ἀτραποὺς ſubinde declinauerim. De Stylo noſtro, vel Scriptionis charactere, varia etiam iudicia erunt, vt Cenſorium planè, immò κριτικώτατον hoc ſeculum eſt; aliis Barbariem, ac negligentiã, aliis nitorem nimium, ac inuſtos quaſi calamiſtros, obiiciẽtibus. Iſtis, ſi Barbariem eſſe putant conceptis ac ſolennibus Eccleſiæ Chriſtianæ vocibus vti; bonum factũ ſi ſic Barbarus eſſe iudicabor. Viderint illi, an elegantiſsimum mortalium omnium MVRETVM barbarum fuiſſe putent, qui ineptum eſſe credidit, & intolerãdum, in re Chriſtianâ aliis quàm receptis vo-

in ſemitas.

maxime procliue ad iudicandum.

cibus vti Eamque doctrinam quam in *Variis Lectionibus* tradiderat, ipse passim, cùm res tulit, in politissimis suis scriptis obseruauit. Quòd si ea Romanorum Veterum religio fuit, vt in vanis sacris & *Amulas*, & *Sympuuia*, & *Secespitas*, & *Hornas Fruges*, & *Fordas Boues*, aliaque innumera Pompiliani æui verba, seuerissimè retinuerint; an Christiana auris tam delicata erit, vt in vero Dei cultu *Sacramenta, Confessiones, Pœnitentias, Satisfactiones, Indulgentias*, & quæ his similia, audire perhorrescat? Valeat potiùs profana omnis Eloquentia quàm vt seruire sibi Ecclesiam velit. Alibi diserti simus aut nitidi; cùm Sacra nostra tractanda sunt, propriis & expressis Sacrorum formulis vtamur. In his summa Barbaries est nimiam Elegantiæ laudẽ affectâsse. Si quis tamen hoc etiã nomine me accusandum putet; ferã patiẽter, conscientiâ meâ contentus, rationibus etiam illis quas amicis meis exposui, cur non incomptam Veritatem, vt hodie multi; sed quodam styli lenocinio subinde adumbratam, in Theatrum produxerim. Euentus fortè ostendet non infructuosum hoc scribendi ge-

nus esse, multosque qui scholasticâ austeritate à Sacris nostris deterrentur, hoc veluti mulso propinato molliores fieri, & (quod Deus ille Magnus concedat) fortè meliores. Vale.

APPROBATIO.

QVòd præsenti Syntagmate in Capita XXV. *partito*, IVBILAEI *cùm* VETERIS, *siue* HEBRAEORVM, *tum* NOVI CHRISTIANORVM, VERI *insuper ac* MYSTICI, *Originem, Caussas, Formulas, Religionem, Prærogatiuas, Symbola, verumq; sensum, & alia pleraq;* SACRAE ANTIQVITATIS, *ad Argumenti istius non ita passim obuij elucidationem facientia, è locuplete [quod etymon cognominis importat] eruditionis suæ, aliorumq; Scriptorum penu sedulò deprompserit* IVSTVS RYCQVIVS *Canonicus Gandauensis, & iuxta historicam veritatem solidè illorum tractationem deduxerit: Dignissimū censeo, quòd sub patrocinio* SANCTISS. D. N. VRBANI VIII. *postquam imminentis* IVBILAEI *solennia nuper indicta, & propediem per illum celebranda veniant, opportunè in lucem prodeat, prælo q; conceptum, omnium, quibus Sancti Iubilæi Religio cultusq; cordi sunt, manibus versandum proponatur. Datum Antuerpiæ in Seminario Episcopali* IX. KAL. OCTOB. Anno M.DC.XXIV.

Laurentius Beyerlinck S.T.L. Canon.
& Archipresbyter Eccles. Cathedral.
Antuerp. & Librorum Censor.

IVSTI RYCQVII DE ANNO SECVLARI IVBILEO SYNTAGMA.

CAPVT I.

Dies, Mensis, Annus Septimus sacer apud Hebraos: item Annus Septies-septimus. Sabbatum, *& Anni* Sabbatici. *Iudæi dicti* Sabbatarij. *Plutarchi, Taciti, Dionis, Appionis, Lactantij de Sabbato error. Septenaria Hebræorum Feriæ à calumniâ vindicata.*

SVMMVM ILLVD ET INEFFABILE NVMEN, cuius Natura bonitas est; consilium, Sapientia; inter cætera præclarissima instituta, quibus populum electum ad omnem religionem ac humanitatem conformauit; admirabili & arcanâ quadam ratione Sapientibus vsum videtur, cùm Numerum *Septenarium* adeò sanctum diuinumque reddi-

dit, vt pleraſque Legis cærimonias eo definierit, & omnem ferè temporum ſeriem eius canone ac menſurâ concluſerit. De die enim Septimo Exodi xx. ita ſancitum eſt: *Memento vt diem SABBATI ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, SEPTIMO autem DIE SABBATVM DOMINI DEI TVI EST.* quod ipſum ſæpè alibi in Diuinis litteris repetitum *legitur.* Menſe autem Septimo, quem Romani à numero SEPTEMBREM, poſteriores Hebræi TISRI nominârunt, Feſtum *Tubarum* die eius primo; Feſtum *Expiationum*, ſeu *Propitiationis*, Scenopegia. decimo; Feſtum τῆς σκηνοπηγίας, ſiue *Tabernaculorum*, decimo & quinto eius die ſolemniter celebrari iuſſa. Addunt Rabbini *Encænia*, ſiue *Dedicationem Templi Salomonis*, ſed quòd ea Diuinis præceptis nuſquam indicta ſit, inter arbitrarias religiones potiùs, quàm ſtatas, aut annales, habenda. Diem & Menſem conſecratum Septimus Annus excepit, non minore curâ à ſupremo Legiſlatore populo commendatus, & SABBATICVS proinde, ſiue *Terra Sabbatum*, ab illius ἀναπαύσει ſiue ceſſatione, nuncupatus. Illum Leuit.xxv. his verbis præceptum habemus: *Sex annis ſeres agrum tuum, & ſex annis putabis vineam, colligeſque fructus eius; Septimo autem anno Sabbatum erit Terra requietionis Domini: agrum non ſeres, & vineam non putabis, quæ ſpontè gignet humus, non metes, & vuas primitiarum tuarum non colliges; quaſi vindemiam; annus enim requietionis terra eſt, ſed erunt vobis in cibum.* Hanc *Terra requietionem*, Lib. 3. Antiq. 10. & ſeptennalem Sabbatiſmum, Ioſephus eleganti vocabulo ἄνεσιν τῆς γῆς appellauit: quo, iuxta

Gramma-

Grammaticos, *otium, remißio, quies, indulgentia,* ſignificatur. Meminit Anni huius ſeptimi eiuſque ἀνέσεως Corn. Tacitus, vbi de Iudæorum Legibus ac Relligione agit; ſed more ſuo, impiè & acerbè: *Septimo die* (inquit) *otium placuiſſe ferunt, quia is finem laborum tulerit; deinde blandiente inertiâ ſeptimum quoque annum ignauia datum.* Meminit quoque S.C. Cæſariani temporis apud Fl. Ioſephum, his verbis: Γ. ΚΑΙΣΑΡ, ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ ΤΟ ΔΕΥΤΕΡΟΝ, ἔστησε κατ' ἐνιαυτὸν ὅπως τελῶσιν ὑπὲρ τῆς ΙΕΡΟΣΟΛΥΜΙΤΩΝ πόλεως, ΙΟΠΠΗΣ ὑπεξαιρουμένης, χωρὶς τοῦ ἑβδόμου ἔτους, ὃν ΣΑΒΒΑΤΙΚΟΝ ἐνιαυτὸν προσαγορεύουσιν, ἐπειδὴ ἐν αὐτῷ μήτε ἀπὸ τῶν δένδρων καρπὸν λαμβάνουσι, μήτε σπείρουσι. Ibid. lib. 14. Hoc eſt: C. CÆSAR IMP. ITER. *ſtatuit, vt cotannis tributum pendant Hieroſolymitani pro ſua ciuitate, Ioppe exceptâ, abſque Anno ſeptimo, quem* SABBATICVM *nominant: quod in eo nec fructus arborum legant, nec ſeminent.* Enimuerò plurima Iſraëlitis Anno ſacro Sabbatico priuilegia conceſſa, quæ Moſes Deuteron. c. XV. ſigillatim enumerat: *Septimo* (inquit) *anno facies* REMISSIONEM, *quæ hoc ordine celebrabitur: Cui debetur aliquid ab amico, vel proximo, ac fratre ſuo, repetere non poterit. A peregrino, & aduenâ exiges, ciuem & propinquum repetendi non habebis poteſtatem: & omnino indigens & mendicus non erit inter vos. Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum.* Et paucis poſt verbis: *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut Hebræa, & ſex annis ſeruierit tibi, in ſeptimo anno dimittes eum liberum, & quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris, ſed dabis viaticum de gregibus, & de*

areâ, & de torculari tuo. Annum ſeptimum ſubſe-
Per excellentiam. cutus eſt Annus ſepties ſeptimus, κατ'ἐξοχὴν SAB-
BATICVS, & à multiplici indulgentia, priui-
legio, ac ſanctificatione יוֹבֵל, id eſt, IOBE-
LVS ſiue IOBELEVS dictus, quem ſtatis
vicibus recurrentem, &, Monade ad Septem
Annorum Hebdomadas myſticè adiectâ, in
Quinquageſimum quemque Annum inciden-
tem, diuinâ auctoritate celebrârunt. De cuius
anni feſtiuitate ac cærimoniâ cùm deinceps pro-
lixius dicturus ſim, ſufficiet heic eius inſtitutio-
mysteriorum plenissimi. nem è Leuitici, μυστικωτάτου operis, capite XXV.
adnotaſſe. Ait ibi Dominus: *Numerabis quoque
tibi Septem Hebdomadas annorum, id eſt, Septies
ſeptem, quæ ſimul faciunt annos XLIX. & clanges
buccina menſe ſeptimo, decima die menſis, Propitia-
tionis tempore in vniuerſa terra veſtra, ſanctificabiſ-
que Annum Quinquageſimum, & vocabis REMIS-
SIONEM cunctis habitatoribus terræ tuæ, ipſe
enim eſt IVBILEVS.* Nihil igitur mirum ſi à
tam multiplici Sabbatiſmo SABBATARII
per contumeliam Hebræi apud profanos voca-
Ioseph. 1. Ant. c. 3. rentur. Porrò venerandum SABBATI nomen
à שבת id eſt, *quieſcere* ac *laborem remittere*, de-
Gen. 2. ducitur; myſtico Diuinæ ceſſationis à Munda-
næ creationis opere, in die ſeptimâ, argumento.
Lib. 7. c. 14. Lactantius tamen Firmianus arcano illo Numi-
nis conſilio perpenſo, quo tantam SEPTENARIO
dignitatem indidit, ab eodem numero, SEBA
Hebræis dicto, SABBATVM formandum puta-
uit: quòd cùm ex ipsâ Hebraicâ linguâ quæ ta-
lem formationem reſpuit, & Scripturæ ſacræ
Viâ apparente ſemitam non quærimus. teſtimonio refellatur; nos ὁδοῦ παρούσης ἀτραπὸν οὐ ζη-
τοῦμεν.

τηρεῖν. Ridiculus magis in Sabbati etymo Plutarchus, curiosus alioqui scriptor, qui aliquid suorum διονυσιακῶν Iudæis affricare contendit, quasi Διονύσου seu Bacchi cultores fuissent in Sabbatis, quod illius Sacerdotes Græci σάββους vocent, illosque in furorem incitatos ἀσέβησιν pati dicerent. Præterea quod circa Sabbati Festum Iudæi largiusculè poculis se inuitarent, illisque summa pœnarum esset vsu vini interdici. Neque dubito quin & ζαβάσιον Bacchi cognomen illhic posuerit, quod tamen in exemplari lacunoso, *vt *asterisci indicant, intercidit: cuius cognomenti Aristophanes, eiusque Scholiastes, Orpheus in Hymnis, Macrobius lib. I. Saturn. Appul. lib. XI. Metamorph. Suidas in hac voce, & alij meminere. Sic enim dictum Liberum volunt ἀπὸ τοῦ θιασμοῦ quo Thraces in Bacchicis vterentur, εὐοῖ, σαβοῖ. quod & ipsum inclamitâsse Æschinem in matris comitatu vlulantem Demosthenes in Inuectiuâ ei obiicit. Meminit Σαβασίων μυστηρίων vti valdè inhonestorum Clemens Alexandrinus in Protreptico. Meminit & Harpocration filij ipsius Liberi, Mnaseâ Patarensi auctore ΣΑΒΑΣΙΟΥ cognominati. Quin & Iouem aliquem hoc cognomento cultum indicant veteres lapidum inscriptiones, & Valerius lib. I. cùm ait: *Senatus, qui Zabasii Iouis cultu simulato mores Romanos inficere conati sunt, domos suas repetere coegit.* M. Tullius, lib. II. de legibus, *Iouem Zebasium* vocat, memor eiusdem in eo eiiciendo Romanæ seueritatis. Nec minore temeritate Plutarchus, quàm Sabbati nomen tentauit, Levitarvm appellationem attigit, &, vt nihil fabulæ Bacchicæ à se

Sympos. 4. q. 5.

Impietatem Xyland. vertit, non satis propriè.

Sacrâ inclamatione.

ſe confictæ deeſſet, à Lycio vel EVIO, Bacchi cognomentis, illam repetendam putauit. Neque
Lib. 37. minus inepta ſunt quæ à Dione Cocceiano, &
Hiſt. Lib 5. Cornelio Tacito, adferuntur de Sacroſancto illo die, quaſi *Saturni feriis* dicatum Iudæi habuiſſent, quòd apud Græcos ac Romanos eâ die Saturnus coleretur. Ridiculum etiam, & meritò
Lib. 1. cont. App. à Ioſepho ſubſannatum, commentum Appionis, qui Hebræos ſex dierum itinere confecto, peſte inguinariâ correptos ſcribit diem ſeptimam ſubſiſtere coactos: qui morbus Ægyptiis *Sabbatosis* diceretur. Venia tamen fortaſsè aliqua danda hominibus Sacræ linguæ & Hiſtoriæ planè imperitis, cùm nullibi ferè profani Scriptores magis delirârint, quàm cùm in ſacra & leges gentis ſacræ, velut in ſcopulos & Acroceraunia ignari nautæ, impegerunt. Nequis igitur cum Tacito deinceps exiſtimet Dies illos Annoſque Septimos meræ ignauiæ atque inertiæ datos, audiat Hebraicum Platonem (ita meritò Philonem appello) gentis ſuæ inſtitutis ac religioni patroci-
Lib. de Decal. nantem: *Iuſſit* (inquit) *Deus, vt quicumque hæc inſtituta recepiſſent, ſicut in cæteris ita in hoc quoque Deum ſequerentur, operando per ſex dies, ſeptima verò interquieſcendo, vacandoq́, contemplationi rerum, & ſtudio Sapientiæ, retractando etiam cogitationes actæ præterita, & rationem eorum à ſe repoſcendo, ſicubi a Legum præſcripto aberratum fuerat, vt impoſterùm cautiores eſſent, proſpicerentq́, ne iterùm impingerent in eadem offendicula.* Hactenus Philo. Vacabant autem Hebræi die Sabbati Lectioni Legis ac Prophetarum, quem morem cùm ex Actis Apoſtolicis paſſim, tum ex Euangelio

gelio Lucæ intelligimus, in quo CHRISTVS ipse *Cap. 4.*
die Sabbathi intrâsse in Synagogam apud Nazarenos dicitur, & de Isaia Propheta aliquid legisse: atque is mos apud Hebræos in hodiernum vsque diem retinetur. Vnde intelligimus diebus sacris, dum corpora feriarentur, animos contemplatione rerum cælestium ac studio Diuinę Philosophiæ exercuisse, conscientiæ quoque examen in illâ tranquillitate instituisse; atque ita otium illud omni labori ac negotio fuisse præferendum. Eadem cautio in Annum Sabbaticum fuit, de quo in Lege Mosaicâ sic præceptũ habemus: *Post septem annos anno Remissionis, in Solemnitate Tabernaculorum, conuenientibus cunctis ex Israel, vt appareant in conspectu Domini Dei Tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba Legis huius coram omni Israel, audientibus eis, & in vnùm omni populo congregato, tam viris quàm mulieribus, paruulis, & aduenis qui sunt intra portas tuas, vt audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantq; omnes sermones Legis huius.* *Deuter. 31.* Hinc ergo nostri homines salubriter discent quid sibi operis incumbat, cùm præscripta Ecclesiæ iussu Festa celebrantes vni Deo vacare, & à seruili opere cessare iubentur. Festum autem *Tabernaculorum*, cuius Constitutio illa meminit, & nos antè mentionem feceramus, è ternis celebrioribus Hebræorum Festis fuit, aliter *Scenopegiâ*, & *Collecta Frugum* (vt Sigonius putat) appellatum; septem diebus continuis, cum octauo Collectæ, cottidianis sacrificiis peragebatur: quo multiplicato dierum numero commodiùs sacrorum Libro- *Lib. 3. de R. P. Heb. Esdra lib. 2. c. 8.*

rum Lectio institui posset: quem legendi morem à temporibus Iosue F. Nun intermissum, Esdras post captiuitatem Babylonicam in vsum reuocari præcepit.

CAPVT II.

SEPTENARII religio ampliùs explicata. quare τελεσφόρος dictus. Eius in Sacris Hebræorum frequentia, ac Mysterium in Temporibus signandis. Pænitentiæ Sacrum; ac Diuinæ iracundiæ interpretem nonnumquam videri.



EPTENARIVM ἀπὸ τοῦ σεβασμοῦ dictũ, vel dici debuisse, Sapientûm virorum opinio est. Ille enim numerus est cuius canone ac mẽsurâ vniuersæ penè religiones apud Hebræos, vti diximus, definiuntur. θειότατον autem illum Numerum esse, vel hinc ostendi potest, quòd è Ternario ac Quaternario, qui duo numeri admodum sacri ac diuini, compactus sit: quòd solus eorum qui Denario comprehenduntur, neque gignat alium, neque ipse gignatur: quod è Senario item numero perfectissimo, & Monade, expressâ Dei imagine, componatur: vt cæteras θαυμαστὰς eius proprietates, quas è Pythagoricis Philo Hebræus aliique recensent, Diuinis mysteriis diuinè congruentes, transeamus. Sanctum ergo ac mirabilem hunc Numerum Diui-

A Diuino cultu & religione. Philo lib. de Mundi opif.

maximè Diuinum.

mirandas. Ibidem.

Diuina Sapientia potissimum elegit, quem Sacrorum cærimoniis ac Sacri temporis periodo, immò Aeternitati illi immensæ, velut terminum metamque, circumscriberet. quare non iniuriâ τελεσφόρος à Philone, *rerum autem omnium nodus* à Cicerone, quod eo omnia compingerentur ac finirentur quà diuina quà humana, nuncupatus est. In Diuinis autem rebus, inter alia innumera, admiranda est, Diei, mensis, Anni Septimi ac Septies septimi sanctificatio: admirandum illud, Iobeli quinquagenarium è quadrato ipsius Septenarij & Monade ei adiunctâ consurgere, sicut ipsa Hebdomas è Senario & vnitate conflata. Vt verò ipsa Monas omnipotenti Deo sacrata est tamquam Diuinitatis simulacrum, ac Numerorum omnium Fons, vinculum, & origo; ita Septenarius, quem & ipsum Deo dicatum, ac Diuinis rebus celebrandis aptissimum diximus, summâ Mysterij perfectione copulatur. Admiranda prætereà in Diuinâ Lege (nam huc exspatiari placet) Septeni *a* dies vescendis Azymis à Paschali festiuitate decreti, *b* Septenæ Hebdomades messi faciendæ ante festum Pentecostes assignatæ, *c* Festum Scenopegiæ septenis diebus, mense Septimo, præscriptum, *d* Tabernaculi ac Templi Dedicatio eodem mense totidemque diebus, à Mose & Salomone peracta: *e* Hominis ac mulieris immundæ, *f* Homicidæ, *g* Leprosi, *h* Nazaræi, *i* Sacerdotum, Pontificis, pari dierum numero, vel lustratio vel consecratio fieri iussa. *k* In sacrorum victimis ouis, bouis, capræ primogenita sub matre custodienda per Hebdomadem, post illam

absoluens, perficiens.

Pythagor. apud Iustin. Mart.

a Exod. 12. & alibi sæpè in S. S.

b Leu. 23. & al.

c Ibid.

d Exod. 28. 2. Par. 7.

e. f. g. Leu. 12. 15. 21. Num. 12. 19.

h Num. 6.

i Leu. 8.

k Exod. 12. & alibi.

illam ritè ſacris adhibenda. Quid verò mira-
l Exod. 24. bilius, quàm *l* Moſen nube tectum ſex diebus,
ſeptimo de medio caliginis in monte Oreb vo-
catum ad Legum Tabulas à Domino accipien-
m Ioſue 6. das? quid magis ſtupendum, quàm *m* ſepteno
Arcæ Domini circuitu per dies totidem, ſeptem
Iubilei buccinis inſonantibus, muros Hierichun-
n Pſal. 118. tis collapſos? Quid magis myſticum, quàm *n* ſe-
o 2. Reg. 12. ptenis cottidiè vicibus Dauidem oráſſe, *o* toti-
demque diebus adulterium commiſſum in cine-
re & cilicio deploráſſe? Et ſanè Metanœæ ac
peccatorum Nemeſi obnoxium eſſe vel maxi-
mè hunc numerum, Septenarius Pſalmorum ca-
non, à Diuino ſpiritu præſcriptus, oſtendit, cæ-
leſti iræ deprecãdæ ſaluberrimè inſtitutus: oſten-
p Dan. 4. dunt etiam *p* *Septem illa Tempora* ſuper Nabu-
chodonoſor, regno eiecto, herbiſque inſtar pe-
corum in deſerto veſcenti, conſummata: oſten-
q Ierem. 25. & al. dunt quoque Denæ *q* Annorum Hebdomades,
à populo Iſraëlitico in carcere Babylonio tranſ-
actæ: quam cladem Deus Iſraëlitis immiſit ob
Sabbatiſmos Annorum Remiſſionis non ritè,
neque vt præſcripti fuerant, obſeruatos. quæ
cùm ſæpè alias, tum iſto Leuitici loco ſignatè
r Leuit. 26. prænunciata fuiſſe videtur: *Tunc placebunt terræ
Sabbata ſua cunctis diebus ſolitudinis ſuæ, quando
fueritis in terra hoſtili ſabbatizabit, & requieſcet
in Sabbatis ſolitudinis ſuæ, eo quod non requieuerit
in Sabbatis veſtris, quando habitabatis in ea.* Quâ
clade acceptâ ſapientiores effecti Iudæi è Ba-
Nehem. 10. bylone reduces, coram Eſdra, iuriſiurandi reli-
gione in obſeruationem Septennalis ἀφέσεως, cæ-
terarumque Legis cærimoniarum ac Rituum
ſeſe

ſeſe obſtrinxerunt. Oſtendunt denique Diuinæ comminationes vltionis *in ſeptuplum* ſumendæ de hominibus in delicto perſeuerantibus, Septem Annorum *r* Fames optioni Dauidicæ data, & *ſ* Aegyptiis Ioſephi tempore, *t* Iudæis ſub Eliſæo Prophetâ diuinitùs immiſſa: *v* Septennalis Hebræorum ſeruitus ſub Madianitis, à quâ per Gedeonem liberati; *x* LXX. annorum calamitas Tyriorum vrbi à Prophetâ prænunciata: & (vt veteribus noſtra iungamus) Septennalis Pœnitentia quam in grauioribus admiſſis Canones olim Eccleſiæ Catholicæ præſcribebant. Idem ergo Numerus qui Indulgentiæ ac Miſerationis Diuinæ piis hominibus interpres eſt, Diuinæ quoque vltionis & iuſtitiæ apud improbos ſimulacrum habet: immò verò Dei ipſius ſimulacrum habet, de quo per Prophetam dicitur: *Miſericordiam & iuſtitiam cantabo tibi Domine.* quamquã id vel maximum Diuinæ miſerationis argumentũ ſit, ſi per Hebdomadem miſeræ huius vitæ dignis caſtigationibus attriti, & à peccatorum ſordibus igne calamitatum expurgati, veræ innocentiæ ac cæleſti adoptioni, vnde per ſcelera noſtra excidimus, reſtituamur. *Quid non* (inquit D. Auguſtinus) *miſericorditer præſtatur hominibus à Domino Deo, à quo etiam tribulatio beneficium eſt? Nam res proſpera donum eſt conſolantis, res autem aduerſa donum eſt admonentis.* admonentis ſcilicet, quàm miſerando in ſtatu verſemur, quibus ſuppliciis facti ſimus digni, quàm mitem Dominum, quàm benignum parentem præuaricatione noſtrâ offenderimus. Quemadmodum enim quilibet ſomno licet grauiſſimo

r 2. Reg. 24.
ſ Gen. 41.
t 4. Reg. 8.
v Iud. 6.
x Iſ. 23.
Pſalm. 100.
Comment. in Pſalm. 50.

nissimo oppressus facilè euigilat, si spinâ, cultello, acu, aciculâ compungatur; ita contingit à lethargo peccatorum faciliùs nos experrectos cõsurgere, si calamitatum & ærumnarum punctiunculis excitemur. Quod ipsum sese expertum Regius fatetur Propheta: *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Et alibi: *Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui.* Rex etiam ille, quem ferino ritu vixisse diximus, Diuinâ Nemesi admonitus sic ait: *Leuaui oculos meos in cælum, & sensus redditus est mihi.* Oculos enim quos peccati culpa clauserat, pœna (vt ait D. Gregorius) supplicij aperiebat. Porrò (quod antè dicebamus) Numerum SEPTENARIVM omnem ferè temporum includere mensuram, id in mysticâ LXX. Hebdomadarum serie, Danieli per Angelum Domini indicatâ, manifestiùs apparebit: quarum initia etsi variè varij accipiant, finis tamen, Sapientissimorum virorum iudicio in metuendum CHRISTI iudicium, ac æternum piorum Sabbatum, verumque & illibatum IVBILEI SECVLVM incurrit: quod istis Prophetæ verbis non obscurè significari videtur: *Consummabitur præuaricatio, & finem accipiet peccatum, & adducetur Iustitia sempiterna, & implebitur visio, & prophetia, & vngetur Sanctus Sanctorum.* quibus in verbis etsi quædam ambigua sint, & quæ ad primam Christi ἐπιφανείαν ac Hierosolymæ excidium referri posse videantur; ego tamen alia sentientibus assentiri malo, quòd ferè ea Diuinæ Scripturæ consuetudo sit, cùm de vtroque CHRISTI aduentu, deque Orbis ac vrbis illius exitio loquitur,

Psal. 31.
Dan. 4.
Ibid. c. 9.
Ibid.
Apparitionē.

tur, carum rerum euentum ita de industria inuoluere vt quid cui tribuendum sit aut vix, aut non tam facilè dispicias. Arguunt etiam Septenarij Chronici maiestatem quæ de Septem chiliadibus, seu *Millenariis* Annorum, à D. Ioanne in κρυφίᾳ Apocalypsi, deque Septem Angelorum, Tubis insonantium, Aetatibus proferuntur. Vbi illud de Septimo Angelo notandum: *Quia Tempus non erit ampliùs, sed in diebus vocis Septimi Angeli, cùm cœperit Tuba canere, consummabitur Mysterium Dei*. Quam Diuinissimi Scriptores methodum sequentes Christiani Chronologi, quotquot ferè in hanc diem scripserunt, Septenis Aetatibus omnem Temporum rationem absoluerunt. Eas ætates etsi non omnes iisdem Temporum interuallis metiantur, in hoc tamen ferè omnes conueniunt, vt in Septimâ Aetate Beatarum animarum IVBILEVM, Angelicis Tubis indictum, perpetuâ tranquillitate celebrandum existiment. Et sanè admirandæ illi sæculorum συντάξει mirè conueniunt, quæ de ἑξαημέρῳ Dei creatoris opere, & lucis Septimæ Sabbatismo, præmisimus; tum etiam illa quæ de Senûm dierum, post extremum in Ierusalem ingressum, CHRISTI occupatione, deque Septimi diei quiete in Sepulcro, pij homines tradiderunt. Quantam verò δύναμιν non in Diuinis modò rebus, sed in ipsis Naturæ elementis, cæli motu ac harmoniâ, in corpore, mente, ac vitâ humanis, in fortunis cuiusque ac Rerumpublicarum conuersionibus, in artium denique ac Scientiarum disciplinis tradendis Septenarius habere credatur, videre est apud M. Varronem in

c. 8. 9. 10. & 20.

constitutioni.

Sex. dierum.

potestatem

Lib. 3. c. 10.

in Noctibus Agellianis. M. Tullium in Somnio Scipionis, & interpretem eius Macrobium. Philonem etiam Hebræum in Allegoriis, ac libro περὶ κοσμοποιίας; recentiores etiam, qui de Numerorum Mysteriis scripserunt, permultos. Nos, ne ἐν τῷ παρέργῳ ipsum ἔργον negligamus, ad IVBILEVM reuertimur.

CAPVT III.

Etymologia IVBILEI inuestigata. varia Grammaticorum opiniones posita; Fl. tamen IOSEPHI electa, & adserta. Ex occasione de IVBAL, IVBALDA, Iubilo, ἀλαλαγμῷ *&* celeusmate, *deq; IVBILEI orthographiâ.*



Ixi de SABBATIS populi Hebraici generatim; nunc ad illud veniam, cuius gratiâ hæc scriptio suscepta est, Solemne videlicet Anni IVBILEI, quod vnde cœptum sit, quo ritu propagatum, quomodo Christiani IVBILEI typum gesserit, DEO auxiliante, deinceps exsequemur. In primis, communi scribentium ritu, de ipso Nomine quæstio instituetur, de quo sanè non leuis, neque noua, inter Sacri Idiomatis intelligentes controuersia est. Cùm enim Leuit. XXV. cap. & alibi, voce istâ Hebraicâ יובל IOBEL exprimatur, eaque in varias admodum interpretationes duci possit,

ſit, nihil ferè certi in tantâ opinionum varietate hactenus ſtatutum. Tres quidem inter cæteras eximiæ ſunt, quarum vnaquæque de principatu, virorum maximorum auctoritate, contendit. Vulgatiſſima illa, & à multis in hanc diem auidè recepta, de *Tubis Arietinis*; quas ipſas Tubas, ſiue ſonum earum protenſiorem ac longiorem, qualis rebus lætis adhiberi ſolet, hîc ſignificari volunt: eo maximè argumento, quòd *Aries* Chaldeis Iobel, Arabibus Iobela dicatur. Doctiſſimus tamen & Illuſtriſſ. Bellarminus, quẽ honoris cauſſâ nomino, non probat hanc ἐτυμολογίαν, quamuis Rabbinis pleriſque probatam, ob rationes quas primo capite eximij Operis de Indulgentiis publicauit. Franciſcus etiam Ribera, qui de Templo ac diebus Feſtis Hebræorum inſigne commentarium ſcripſit, commentum iſtud Rabbinicum tam à veritate abhorrens eſſe credit, quàm quod maximè. lib. 3. c. 14 Ridiculum etiam videri ait id aſſerere in maximâ Ivbilei ſolemnitate buccinas è cornu arietino adhibitas, iiſue perſonantibus muros Hierecuntis prodigiosè collapſos. Atque ita rem iſtam parum ex vero, immò parum ἐκ τοῦ πρέποντος, à Iudæis Interpretibus confictam exiſtimant. Altera verò interpretatio eſt, quam Illuſtriſſimus Bellarminus ſequitur, Anni יוֹבֵל Icbel, quaſi Anni germinantis ac (vt Lucretiano verbo vtar) *frugiferentis*, à radice יָבַל Iabal ſcilicet, quod *frugibus abundare* Hebræorum linguâ ſignificat: vt ſit nimirum *Annus* ille *Benignitatis* Domini, Psal. 64 cuius *coronæ benedictio* tributa, iuxta promiſſionem Leuit. xxv. factam. *Et dabit terra fructus ſuos,*

ſuos, & comedetis ad ſaturitatem, & habitabitis confidentes in ipſâ. quæ promiſſio etiam Anno Hebdomadico facta ſub hac formulâ : *Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium Annorum.* Et certè in Bibliis Complutenſibus inter cæteras IVBILEI explicationes adducitur etiam iſta, *Annus germinans, appertans.* Vnde ab eadem radice deriuatum eſt יובל IEBVL, quod fructuum omne genus Hebræis ſignificat. Tertia demum illorum ſententia eſt, qui voce IOBELO propriè ac peculiariter LIBERTATEM ſignificari arbitrantur: cui Fl. Ioſephus ſubſcribit, his verbis: Ενστάντος τοῦ ΙΟΒΗΛΟΥ, ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΝ δὲ σημαίνει τοὔνομα, συνέρχονται ὅτε ἀπεδόμενος τὸ χωρίον, καὶ ὠνησάμενος Hoc eſt: *Inſtante Anno* IOBELO, *quæ vox* LIBERTATEM *ſignificat, conueniunt in vnum agri emptor ac venditor.* Huic interpretationi, vti dixi, & Ribera fauet, permotus. vti ait, Ioſephi hominis doctiſſimi, & ſuæ linguæ peritiſſimi, auctoritate: eique non obſcurè D. Hieronymum aſſentiri videri Libro II. in Iſaiam, ferè ſub initium: aſſentiri etiam LXX. Interp. qui ἀφέσεως σημασίαν reddiderunt: quâ voce *Libertas* ſiue *Liberatio* Græcis denotatur. Huius ſententiæ aſtipulatorẽ etiam obſeruo Baptiſtẽ Platinã in vitâ BONIFACII VIII. cùm de Hebraico IVBILEO affirmet, LIBERTATIS *id nomen præ ſe ferre tam animi quàm corporis.* Ambroſium quoque Fraccum Ferentinatem in deſcriptis Ouidiano ritu Sacrorũ Temporum Faſtis.

Porta ego ab Abramo, duce me fit nomen, & Annus,
Et libertatis tempora Sanctus habet.

Etſi

Ibid. (margin, beside "domadico facta")
Lib. 3. Ant. c. 9. (margin, beside "BERTATEM")
Lib. 12. (margin, beside "Porta ego")

Etsi minus apertè quàm reliqui. Viri etiam Sacræ Linguæ peritissimi, quos consului in tantâ opinionum incertitudine hanc sibi præ reliquis haud paullò certiorem videri affirmârunt. Et verò cæteræ Interpretationes iuxta aliquid Iubileam Festiuitatem exprimunt, dulce verò *Libertatis* nomen καθ' ὅλον Anni Solemnis priuilegia comprehendit. De quâ Libertate Arator cecinit Christianus Poëta:

—— Nam Quinquagesimus Annus Lib. 2. Hist. Apost.
Cùm Iubileus adest, proprij distractio ruris
Antiquo donatur Hero: seruire coactis
Libertas amissa redit: mala debita laxat
Creditor, & lumen patriæ vetus aspicit exul.

Quod verò ab Abrahamo originem Portæ Sanctæ ac Iubilei Ambrosius Fraccus repetat, respexisse illum credo, Poëtarum more, ad fabulas potiùs quàm Historias, quas à Polycrate nescio quo confictas viri etiam magni temerè in scribendo secuti. Volunt enim Annum Iubileum in Abrahamo sacratum quòd fratrem suum Loth, anno ætatis suæ quinquagesimo, ab hostibus liberauerit: vel, Anno quinquagesimo post egressum è terrâ Chaldæorum: vel, ex quo Deus ipsum fuerat allocutus: vel denique, quòd ex Astrologiæ peritiâ, in quâ Zoroastrem (vt volunt) discipulum habuit, cognouisset singulis Annorum quinquagenis ætheris intemperiem corrigi, astra ad easdem sedes relabi, & elementa expurgari. sed hisce λεπτοτάταις λήροις aliquis tenuissimis nugis.

—— credat Iudæus apella
Non ego.

Sunt & aliæ etymologiæ difficillimi eius nomi-

nis quas φιλιβεραιοι certatim excogitârunt. Inter quas ingeniosa est quorumdam & amœna à IVBAL, Musicorum organorum & Harmoniæ repertore, quod anno scilicet Remissionis Buccinæ cantus, exultantium soni, & iubila passim audirentur. Buccinis enim solemnibus, quas SCHOPHAR vocabant, Jubileum indici consueuisse mox dicam. Et quæ vmquam aliàs magis exultandi, iubilandi, & præ lætitiâ (vt veteres loquebantur) vitulandi caussa, cùm terra sine labore fructus produceret? cùm nexi, exules, serui restituerentur? cùm amissæ possessiones veris Dominis redderentur? Et verò non omninò displicet mihi, quod viris etiam doctissimis placuisse video, ab isto IVBAL, Lamech & Addæ F. Latinas voces *Iubilare, Iubilum, Iubilatum*, & his affinia, profluxisse. *Iubilare* namque sic exposuerunt D. Augustinus, & alij, vt propriè sit gaudium, quod verbis explicare nequeas, voce aliquâ confusâ ac subitaneâ testari. Talem vocem esse volunt ἰὼ vel ἰὼ, vnde, iuxta alios, Latinorum *Iubilum*; & ἀλὰλ, vel ἀλαλὰ, vnde Græcorum ἀλαλάζω, & ἀλαλαγμὸς, *Iubilationi* Latinæ exactè respondentia. Quare *Domina Mater* (vt cum Tertulliano loquar) *Ecclesia* vbicumque LXX. ἀλαλάζειν, & quæ hinc composita ducuntur, in Diuinis Libris ponunt, ipsa in Vulgatâ Editione IVBILARE, cum deriuatis inde vocibus, retinendum putauit. M. Varro & Pomp. Festus rusticorum esse putant *Iubilare*, *quiritare* vrbanorum: solent enim rustici ἐπὶ τῆς χαρᾶς voce gestuque vehementiùs commoueri. Quãuis obseruârim apud Poëtas non solam

Andreæ Masij, C. Kerij & aliorum.

Gen. 4.

Lib. de L. L.

inter gaudendum.

lam vocem inconditè clamantium rusticorum, sed ad fistulam scitè canentium *συριγμοὺς* *Iubila* vocari. Sillius id testatur Lib. XIIII. de Polyphemo:

Et latus scopulis audiuit iubila Cyclops.

Iubila scilicet non sua, sed à rusticanis pastoribus Siculis ad cannam emodulata. Calpurnius etiam Nemesianus in Eclogis *βυκόλοις* deflens:

Et tua mœrentes expectant iubila tauri.

quos olim adolescens imitabar in Carmine ad N. V. Adolphum Eetueldium rusticantem:

Iubilaq; ingeminat Faunus, lasciuit Oreas;

Et natat in liquidis humida Naias aquis.

Illud quoque à me obseruatum est non semper apud Scriptores voce *Iubili* lætum aliquid significari, sed nonnumquam *ἐπίφθεγμα* aliquem inclamantis. vt apud Attium in Chrysippo:

Io buco. quis me iubilat? vicimus Atus.

nam cùm Atus rusticus vicinum suum voce *Io* inclamâsset, alius respondens subiicit, *quis me iubilat*, vel, *iobilat?* sic enim fortè rectiùs, si hanc originationem sequimur; id est, *quis me inclamat?* Nonnumquam clamorem ac fremitum aliquem instigantis. quo sensu Appuleius, vetustatis obseruator religiosissimus, Lib. VIII. Metam. *Canes rabidos, & immanes, & quibusuis lupis, & vrsis sæuiores, quos ad tutelæ præsidia fuerant alumnati, iubilationibus solitis, & huiusmodi vocibus, nobis inhortantur.* Vsus tamen posteà obtinuit vt eximiæ lætitiæ exprimendæ *Iubilationes* constanter deseruirent. Fuere qui Berosum illum supposititium secuti à Ivbalda, fabuloso Hispaniæ Regé; voce Aramæâ (vt nugantur) à

lætitiâ ſic dicto, *Iubili* deriuationem peterent. Nominis ac lætitiæ cauſſam fuiſſe, quòd is ſacris primùm inuentis, vti Numa alter Pompilius, populos delectâſſet. Atque hoc nugatorium commentum viris etiam doctis perſuaderi potuit. Ingenioſiùs Oliuerius Vredius, Brugenſis Iureconſultus, qui in litteris ad me datis *Iubilum* à *Iubeo* eo modo dici exiſtimauit, quomodò apud Græcos κέλευσμα ἀπὸ τοῦ κελεύω, quod etiam eſt, *Hortor*, & *Iubeo*. nam ſicut *Iubilare* reſtrictum ad ruſticos, ita κέλευσμα ad remiges. Solebat autem cani remigibus κέλευσμα per ſymphoniacós pueros, & per aſſam vocem, aut citharam: vt è Pædiano Budæus notat. κελευστὴς quoque ad eum reſtringitur qui celeuſma canit, cùm alioqui eſſet iuſſor, ſeu qui iubet & hortatur. Hæc fere Vredius. Sanè iubilâſſe etiam Chriſtianos olim CHRISTO in celeuſmate teſtatur Sidonius Aruernorum Epiſcopus lib. II. Epiſt. x.


Lazio, Becano, Fr. Tarapha.

Curuorum hinc chorus helciariorum,
Reſponſantibus Alleluia ripis,
Ad CHRISTVM *leuat amnicum celeuſma.*

quod opifices, agricolas, viatores leuandi tædij aut laboris fallendi cauſſâ feciſſe vt iuxta *Alleluia* pium ac diuinum aliquid canerent iam alij monuerunt. Et hæc de IVBILI originatione, aut interpretatione, paullò diffuſiùs, ac libentiùs, quòd Eccleſiam Romanam videam neglectâ Orthographiæ Hebraicæ ratione, quæ à IOBELO IOBELEVM dici poſtulat, *Iubili* παραγραμματίᾳ delectatam IVBILEVM prætuliſſe. Non è vulgari imperitiâ (nam & hanc ſcribendi ratio-

nem

nem D. Hieronymus & alij multi probant) sed quod rei lætissimæ significandæ vocem ipso etiam sono lætam adhibendam putauerit: camque Latinè potiùs quàm Hebraicè sonantem, vt ab omnibus Latini orbis populis eò commodiùs intelligeretur. Præter adductas vocis Iobel significationes, illæ item sunt apud D. Hieronymum, Annus *dimittens, mutans, defluens*, in Bibliis verò Regiis etiam *Inueterascens* exponitur. Lib. de Nom. Heb. Fuere nonnulli qui *principium*, *aditum*, vel *accessum* exponerent, à radice יבל Iabal, quod *ducere* & *adducere* esse volunt; denique qui *gratiam, remissionem, gaudium*: sed hi magis analogicè credo & περιφραστικῶς, quàm ex vocis ipsius vel significatione vel naturâ. Mirandum tamen quicquid interpretationis in sacram hanc vocem cadit μυστικώτατον esse, & quod Anno illi Sancto per omnia conueniat. Nam & *Dimittens* erat, debita scilicet æris alieni, & seruitutes: *Mutans* etiam, conditiones nimirum ac status hominum, ex seruis liberos, ex obæratis diuites, ex egenis Dominos reddens: *Defluens* item, perpetuâ scilicet quinquaginta annorum serie è seculo in seculum dimanans: *Inueterascens*, ob instituti Antiquitatem, ab ipso ingressu in terram Chanaan perpetuò seruari iussi: Adhæc Initium seu *Principium* erat Nouæ Lætitiæ ac Libertatis, & Seculi Iubilei. *Aditum* verò & *accessum* præbebat exulibus in patriam, seruis ad manumissionem, pauperibus ad opulentiam, antiquis Dominis ad recuperandas possessiones. Et hæc quidem omnia in Typico Hebræorum; quæ quàm diuinè vero



CHRISTIANORVM IVBILEO conueniant in ipſo operis proceſſu dicemus.

CAPVT IV.

Diuiſio IVBILEI, eiuſq́; partes propoſitæ. De HEBRAICO agi cœptum: eius indicendi Ritus. Tubis indicebatur, ſeu potiùs Buccinis. Quid propriè Buccina, *quid* σάλπιγξ. *Annus Iubilæus quo anni tempore incœptus.*

E Menſi turbidum Grãmaticæ contentionis fretum in ipſo IVBILEI portu cymbam ſtatuemus, vbi adſpirante blandâ Gratiæ ac Remiſſionis aurâ, fixiſque Libertatis anchoris, gratâ viciſſitudinis temperie, ac ſolidâ voluptate, animi recreabuntur. Etenim ſi IVBILEI totius naturam ac proprietates conſiderare voluerimus, partes primùm colligamus oportet; quibus cognitis, atque perſpectis, faciliore methodo ea quæ poſtmodum tradenda erunt exſequemur. IVBILEVM igitur (dabis veniam, Lector, communi ac receptâ Chriſtianorum voce vtenti) partientes, in HEBRAICVM, CHRISTIANVM, ac MYSTICVM trifariàm diuidemus. Iſtud nouâ diſtinctione in RITVALE & CHRONICVM; hoc item ſubdiuidendo in ORDINARIVM ſiue STATVM, & EXTRAORDINARIVM ſiue INDICTIVVM; & hoc denique vlteriùs

vlteriùs in Pvblicvm & Privatvm partiemur. De Hebraico Ritvali, ſicut inſtitutione primum eſt, cæterorumque fons & origo; ita primò nobis agendum erit: breuiter quidem & ſuccinctè, ne in re iam toties vulgatâ putidi & inepti fuiſſe videamur.

Ritum indicendi Anni Iubilei Dominus ipſe præſcribit Leuit. xxv. cap. his verbis: *Numerabis quoque Tibi ſeptem Hebdomadas annorum, &c. & clanges buccinâ menſe ſeptimo, decimâ die menſis, propitiationis tempore, in vniuerſâ terrâ veſtrâ. Sanctificabiſq; Annum Quinquageſimum.* Menſem ibi Septimum τῆς σκηνοπηγίας intellige, ab eodem numero (ſi modò calculi conueniant) Romanis Septembrem, Hebræis recentioribus Tisri dictum. Annum namque Sacrum Hebræi à Nisan, vel menſe Martio, incipiebant, quòd is Menſis, Mundi natali, & Exodo ab Ægyptiâ ſeruitute ſacratus, menſium principatum iure repoſceret. Accedebat Diuinum Imperium quo *Menſem* hunc *primum in menſibus anni*, ob cauſſas puta ſupradictas, habere iubebantur. Dies porrò menſis Tisri decimus in Feſtum Propitiationis incidebat, quo Iubileum Annum indici conſueuiſſe ex Kalendario Hebræorum à Sigonio edito manifeſtò apparet. Faciebat autem clangor Buccinæ à Domino imperatus ad populum exhilarandum dulci ſpe Nouitatis ac Libertatis: oppreſſos maximè, & in aliqua afflictione poſitos recreandos & eleuandos. Porrò Buccinas iſtas alias fuiſſe ab Argenteis Tubis, quibus Sacerdotes aliis in Sacris vterentur, ex eo patere videtur, quòd in Libro

Feſti Tabernaculor.

Exod. 12.

Lib. 3. de Rep. Hebr.

Num. 10.

Iesu Naue c. VI. ad discrimen dicatur, *Buccinas, quarum vsus est in Iubileo.* apud LXX. ἑπτὰ κερατίνας τῆ ἰωβὴλ. Vnde multis suspicio nata Buccinas illas, quòd Hebraicè, vti putant, IOBEL, Græcè κερατῖναι dicantur, è cornu arietino confectas fuisse, blandiente mysteriorum lenocinio, & vocabuli ipsius apud Chaldæos alludente significatu: quam tamen opinionem cum Bellarmino & Riberâ suprà reiecimus. Ego quidem corneas fuisse cum eodem Riberâ concesserim, sed è bubulo cornu, vel certè animalis cuiusquam grandioris. Bubula sanè cornua olim celebri in vsu fuisse, etiam Romæ, Dionysius ostendit Lib. II. Antiq. Τοὺς, inquit, δημοτικοὺς ὑπηρετάι τινες, κέρασι βοείοις ἐμβυκάνοντες, ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. Hoc est: *Plebem ministri quidam cornibus Bubulis insonantes ad concionem cogebant.* Vocabātur huiusmodi cornua propriè *Buccina*, atque ideò nouo vocabulo ἐμβυκάνειν, *Buccinâ canere* dixit, quod βυκανίζειν posterioris æui Scriptores Græci dixere. Propertius de primigeniâ Romanorum simplicitate, & eodem Ritu.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.

Buccinam esse pastoralem tubam testatur D. Hieronymus, atque ideò priscis Quiritibus pastoritiam adhuc vitam agentibus aptè conueniebat. Columella Lib. IV. Agric. *Ad sonum Buccinæ pecus septa repetere consuescat.* Propertius iterum:

Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat.

Fuisse etiam Militarem multis Veterum testimoniis affirmat Vir omnis Antiquitatis peritissimus,

mus,Belgicæ nostræ lumen,Iustus Lipsius in Libris de Militiâ Romanâ. Rectè ergo Vulgatus Interpres *Buccinam* potiùs quàm *Tubam* posuit, quòd eo vocabulo rei veritas magis exprimatur: etsi aliis in locis minùs huius rei obseruans fuit; vti & LXX. qui interdum τὰς ἱερὰς σάλπιγγας, interdum, κερατίνας reddiderunt. quamuis Suidas τὴν σάλπιγγα, ἱερατικὸν ὄργανον: *solis sacris deputatam Tubam* esse velit, qua ratione adiunctum illud τὰς ἱερὰς frustra addidissent. Artemidorus etiam Daldianus, qui de Sacrâ Tubâ aliquid nugatus est, à proposito tamen nostro non planè alienum: Σαλπίζειν, ait, δοκεῖν σάλπιγγι τῇ ἱερᾷ, δούλους καὶ πάντας ἐν ὑπηρεσίᾳ ὄντας τῆς δουλείας ἐλευθεροῖ. Id est: *Videri* [per somnium] *Sacrâ Tubâ canere seruos & omnes in ministerio aliquo constitutos libertate donat.* Rationem addit: ἴδιον γὰρ ἐλευθέρων τὸ ὄργανον. *Proprium enim Liberorum hoc instrumentum.* Vbi respexisse illum credo ad Sacros Græciæ Agones, in quibus Tubâ signum dabatur, & soli ingenui certabant. Quod p-tiori ratione de Buccinâ Iubileâ, vero τῆς τε ἐλευθερίας καὶ ἀνέσεως σημεῖον, dicere potuisset, si Hebræorum mysteria non ignorasset. Septem autem fuisse Iubilei Buccinas, siue Tubas, ex eodem Libro Iesu Naue intelligimus, quas, magnâ Septenarij celebratione, Septem Sacerdotes, die decimo mensis Septimi, Anno Septies septimo inflabant, ad Noui Solemnis denunciationem. Illud quoque cum maximis viris asserimus ab Anni Naturalis, seu Communis, apud Hebræos initio, quod in Æquinoctium Autumni incidebat, Solemne Iubilei ordiri consue-

Lib.4.Dial. 10.

Lib. .c. 58.

Libertatis & Remissionis signo.

Caietan. sup. Leu. Perer. lib. 1. in Gen. Scalig. li. 5 de em. Temp. Torniello in 4. Mundi &c.

consueuisse; quemadmodum Sacer eorum siue Ecclesiasticus ab Æquinoctio Verno, vti diximus, incipere consueuerat. Iubilei verò Seculi, siue Magnæ Hebdomadis, mensurâ vniuersi temporis canonem complexus alibi ostendemus. Vnde quemadmodum mensem NISAN, Mundo natalem, caput & principium Mensium appellabant; ita etiam Iubileum Annum, quem vnà cum Mundo ortum fuisse credebant, ab Adamo eum supputantes, qui veram in Statu Innocentiæ ἐλευθερίαν egerat; Annorum omnium Fontem ac Radicem non immeritò appellâssent. Quam supputandi consuetudinem secutus Nicolaus de Cusa Cardinalis ECCLESIAE CHRISTI mensuram, siue durationem, XXXIV. Iubileis inclusit: vt de ipso Petrus Bungus libro de abditis Numerorum Mysteriis testatur. Verùm hisce aliquantisper dilatis ad Priuilegia Annorum Quiescentium describenda stilum accingemus.

[illegible]

C A-

Capvt V.

Eius Anni priuilegia ampliùs exposita. Locus Leuitici difficilis explicatus. Obærati apud Persas, Græcos, Romanos malè habiti. σεισάχθεια Solonis. Quænam apud Hebræos seruitus. Anni Septimi & Quinquagesimi comparatio.



Riuilegia populo Dei electo Anno Quinquagesimo concessa, ea partim Terram ipsam, eiusque fructus; partim Homines, eosque variè miseros aut oppressos respiciebant. Terræ ἄφεσις eadem data quæ Anno Septimo Sabbatario: ab omni agriculturâ cessatum: quicquid sponte Terra protulisset delibatum leuiter aut carptum à seruo, ancillâ, aduenâ, mercenario; bestiis etiam ac iumentis in cibum data. Prouidente benignissimo Numine, sicut diximus, vt in Mysticâ cessatione Triennalis abundantiæ fructum tellus inarata proferret. Vineæ iis annis non putabantur, fruges non metebantur, oliuæ ad pressuram non legebantur: omnia promiscui ac liberi vsus erant: nihil diuitibus, nihil auaris Euclionibus, in penum aut horreum recondebatur. Aureum planè sæculum renatum diceres, quando, vt fingunt Poëtæ, Leu. 25. Exod. 23.

Ouid. 1. Met. *Mollia securæ peragebant otia gentes,*
Ipsa quoque immunis, rastroq́; intacta, nec vllis
Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus:
Contentiq́; cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaq́; fraga legebant.

In hac tamen rerum omnium facultate, diuiteq́ue abundantiâ, difficultatem aliquam mouent Diuinæ Scripturæ interpretes, de *Vuis primitiarum*, quas Leuit. xxv. Dominus *colligi* vetat *quasi vindemiam*. Nata ea difficultas ex ambiguitate vocis נזירך NEZIRECHA, quæ & *Nazaræos* attonsos Domino, & *Separationem* significat: Vnde aliis alia huius loci interpretatio placuit. Mihi si sententiã proferre cõcessum inter summos primi subsellij Senatores, dicerem εὐστόχως interpretatos fuisse illos qui *Vuas separationis* reddiderunt. *Separare* enim hîc est priuato vsui aliquid in cellam aut penuarium abdere, vel vino colando reseruare: quod Deus tempore ἀνέσεως seuerissimè fieri vetat. LXX. non multùm abeunt, qui σταφυλὴν τοῦ ἁγιάσματος exponunt, quòd nimirum fruges tunc Deo sacræ essent, & tonderi falce vetarentur, sicut Nazaræorum comæ, propter religionem. Vulgatam lectionem ita tuetur D. Hieronymus vt *Vuæ Primitiarum* sint quæ instar Primitiuorum Anno Sanctificationis Deo relinquerentur. Iudicet Lector eruditus; ego meam, citra præiudicium cuiusque, verecundè sententiam protuli. Erant & hominum eo Anno Priuilegia, inprimis Liberorum; sed tenuium, & paupertatis ac indigentiæ, cuius grauissimum onus vulgò putatur, fasce oppressorum. His alienum æs remittebatur, mutuum non reddi-

redditum dimittebatur, rerumque immobilium alienatæ possessiones gratis restituebantur. Quæ restitutio quomodo fieret, præter Diuinos Libros, perspicuè ac summatim Iosephus tradidit Lib. III. Antiq. c. x. Verba ponemus ex interpretatione Geleuiana: *Instante IOBELO, quæ vox LIBERTATEM significat, conueniunt venditor agri & emptor, computatisq; fructibus, ac expensis in agrum factis, si fructus maiores fuisse comperiantur recipit agrum venditor: quòd si expensæ maiores fuerint, hoc quod deest recipiēs emptor possessionem alteri cedit: sin vtraque paria fuerint, possessio ad veteres Dominos reuertitur. Idem ius est & in domos quæ in vicis non munitis venduntur: diuersum verò de illis quæ intra opidorum mœnia vendantur.* Quod autem hæ non pari iure venirent ea ratio fuit, vt est apud Abulensem, quia per possessiones intra Vrbem non fiebat distinctio Tribuum ac familiarum, cùm opida Leuitis assignata essent ad inhabitandum; sed per villaticas mansiones, in quibus agri ac domus suum cuique Tribui discrimen faciebant. Equidem Leuitarum domus, vbicumque sitæ essent, etiamsi in Iubileo redemptæ non fuissent, omni tempore redimi ac recuperari poterant: cuius rei rationem Origenes in Homiliâ singulari hac de re scriptâ, & alij multi in caput Leuitici prædictum, reddiderunt. Hinc apparet quanta indulgentiâ ac lenitate populus Iudaicus inuicem vsus sit, è Diuino præcepto, præ cæteris nationibus, apud quas οἱ χρεωφειλέται durissimè semper habiti leguntur. Apud Persas enim infamiâ, quæ poterat esse maxima, notati: apud Athenienses,

Perperam Cyrillo Alexand. ascribitur.

obærati.

Plutarch. lib. de Fen. Demosthen. passim.

mensés, columnis ad ignominiam perpetuam
Agell. lib. 20. ἐν τῇ ἀκροπόλει, hoc est, *in Arce ciuitatis*, inscri-
pti: apud Romanos veteres, in nexum aut com-
pedes dati, aut (quod horrendum etiam dictu,
& cogitatu) legibus XII. Tabularum findi á
creditoribus,& in partes secari iussi. Et quidem
verba ipsa Legis dicam, nequis putet me com-
mentitiam fabulam adferre. ea talia sunt apud
Ibid. Cæcilium I. C. TERTIIS. NVNDINIS. PAR-
TEIS. SECANTO. SI. PLVS. MINVSVE. SE-
CVERINT. SINE. FRAVDE. ESTO. Illud ergo
periculum incurrebatur *Tertiis Nundinis: Vinctis
enim debitoribus* (vt idem Cæcilius hanc legem
explicat) *ius erat paciscendi: ac nisi pacti forent ha-
bebantur in vinculis dies LX. inter eos dies trinis
nundinis continuis ad Prætorem in Comitium pro-
ducebantur: quantaq́; pecuniæ iudicati essent præ-
dicabatur. Tertiis autem Nundinis capite pœnas da-
bant, aut trans Tiberim peregrè venum ibant. Capitis
pœnam* intellige; quam dixi, verè horribilem,
metuendam, barbaram, atrocem. *Quam legem*
etsi *mos publicus* constanter, teste Quinctiliano,
repudiauit; mirum tamen, immò indignum, in
tam cordatâ R. P. vmquam fuisse promulga-
tam. Eâ verò pœnâ cessante, aut propter eius di-
ritatem in vsum numquam receptâ, vincula ta-
men, nerui, compedes, ergastula in libera etiam
corpora numquam sæuire desierunt. Quod ex
lib. 6. istis M. Manlij apud Liuium verbis apparet:
*Acrioris quippe æris alieni stimulos esse, qui non ege-
statem modò, atque ignominiam minentur, sed neruo,
ac vinculo corpus liberum territent.* Item è querelâ
in bell. Cat. istâ coniuratorum apud Sallustium: *Deos homi-*

nesq́;

nesq; testamur nos arma cepisse vti corpora nostra ab iniuriâ tuta forent, qui miseri, egentes, violentiâ atque crudelitate fœneratorum pleriq; patria, sed omnes famâ atque fortunis expertes sumus. Et quæ ibi alia sequuntur. Rara ergo Nouarum Tabularum Romæ priuilegia, raræ æris alieni, raræ fœnebrium vsurarum, in solatium miserorum aut egentium, remissiones. Et si quando, vel Tribunorum rogatu, vel Principum virorum commiseratione, tale aliquid parabatur, in ambitus suspicionem plerumque venerunt; atque ideò ab optimatium & ditiorum factione summis conatibus impediti. Non minorem iniuriam ære alieno implicati apud Athenienses, ante Solonis σεισάχθειαν, patiebantur, teste Laërtio: quorum ipse misertus Septem talenta, ex patrimonij iure sibi debita, primus remisit, cæterosque ad par faciendum exemplo suo prouocauit. At in Hebraico populo præter illam, quam dixi, κληρουχιῶν ἀποκατάστασιν, corporum quoque libertas, & seruitutis abolitio anno Iubileo concessa. qui enim vel penuriâ adacti sponte se ad mercedes oppignerauerant, vel qui, contribules cùm essent, ob delictum seruire *in seculum* iussi erant, Libertatem eo anno plenissimam consequebantur. In *seculum*, inquam, id est in proximum Iubileum, nam vltra id spatium Hebræorum seruitutes extendi non licebat. Erat tamen aliquod Seruorum genus qui etiam Anno Sabbatico libertatem nanciscebantur: at si quis apud Iudices sese aure perforatâ in seruitutem tradidisset, in seculum seruiebat: quo expleto, ad tribum quisque suam, & familiam, ac cognationem redibat.

legem quæ debita, abolebat.

rei familiaris restitutionē.

vide inf. 67

Exod.21. Leu.25. Deut.15.

Mirum

Mirum verò quâ ſanciendi ſæueritate ſupremus Legiſlator hoc Mandatum publicârit, additis formulis: METVITO. DEVM. TVVM. &c, TIMEAT. VNVSQVISQVE. DEVM. SVVM. nè ſcilicet profanæ crudelitatis exempla ſecuti ferociùs in libera corpora ſibi addicta ſæuirent. Inſignis etiam illa Diuinæ Benignitatis promiſſio, ſi quis Mandato huic obediret: *Facite* (inquit) *præcepta mea, & iudicia cuſtodite, & implete ea, vt habitare poßitis in terra abſque vllo pauore, & gignat vobis humus fructus ſuos, quibus veſcamini vſque ad ſaturitatem, nullius impetum reformidantes.* Quæ iudicia Domini quamdiu cuſtodierunt Hebræi, & impleuerunt, δικαιοπραγοῦντες ὡς ἀληθῶς (vt ait de ipſis Strabo) domi felices hoſtibus foris terrori ac venerationi fuere. Vbi verò *in viam Gentium abeuntes* ea contempſerunt, ac nauci habuerunt; fame & peſtilentiâ afflicti, domeſticiſque diſſidiis attriti, mutuis vulneribus conciderunt; aut duriſſimam apud Allophylos ſeruitutem ſeruire coacti. Quæ omnia Præceptum iſtud δικαιοσύνης καὶ φιλανθρωπίας μεστὸν violantibus verbo Domini Propheta prænunciârat. Et hæc hactenus de Priuilegiis Anni Quinquageſimi, qui cùm perfectæ Remiſsionis eſſet duplici hac re annum Hebdomadicum ſuperabat: Quòd Seruos omnes Hebræos manumitteret, nemine excepto; & poſſeſsiones rei amiſſæ gratis reſtitueret; quod, inter cætera, eruditè à Franciſco Riberâ vidimus obſeruatum.

verè iuſtitiā colentes.

Iuſtitiæ & charitatis plenum. Philo. Ierem. c. 34.

lib. 5. de Templo.

CA-

CAPVT VI.

Caussæ instituti Anni IVBILEI. Quare requies agris Annis Sabbaticis concessa. ἄνεσις, siue, Intermissio *Telluri necessaria.*



Vid verò Sapientissimum Numen permouerit vt Annos Sabbaticos, & Ivbileos populo Iudaico præscriberet, hæ fere caussæ à Diuinarum rerum Interpretibus afferri solent. Primaria hæc, vitandæ scilicet confusioni Tribuum ac Familiarum, quæ ex alienatione bonorum perpetuâ, aut assiduâ contribulium seruitute, oriri potuisset. Cùm enim, ad confutandam olim eius populi perfidiam, liquidò demõstrari oporteret Christvm, Dominvm ac Devm nostrvm, verum Messiam in lege promissum, de tribu Ivda, è stirpe David, originem habuisse; tam prouidè ac sapienter, Diuino nutu per Mosem cautum videmus, vt vnicuique matrimonia intra suam tribum essent: portio hereditaria in terrâ Chanaan, diuisione primâ assignata, non nisi temporaneâ venditione abalienaretur: serui non nisi in proximum Iubileum seruire iuberentur, & tunc ad suam Tribum ac cognationem absoluti redirent. Quòd si confusis Familiarum ordinibus, vt alibi fieri videmus, ἀγενεαλόγητοι Hebræi remansissent; difficillimum, immò ἀδύνατον negotium fuisset eam Saluatoris nostri γενεαλογίαν conte-

Num. 36.

Genealogiarum ignari.

contexere, quam obſeruato Temporum ac Suc-
Matth. c. 1. Luc. c. 4. ceſſionum ordine in Sacro Euangelio expreſ-
ſam videmus. Altera inſtitutionis huius cauſſa
ea eſſe videtur, quam ipſe Dominus Leuit. xxv.
capite, & ſæpè aliàs, hiſce verbis ſubindicat: *Nolite affligere contribules veſtros, ſed timeat vnuſquiſque Deum ſuum: quia ego Dominus*. *Duritia cordis* ſcilicet in Hebraicâ gente, quam & Prophetæ perſæpe, & ipſe Prophetarum ſummus
Matth. 19. Marc. 10. apud Euangeliſtam meritò eis exprobrat. Niſi enim Diuina Clementia hac ratione oppreſsis, egenis, ſeruis, exulibus, captiuis ſubueniſſet; in ſuâ quiſque Tribu ac Familiâ, immò in mediâ promiſsionis terrâ, & Pharaones & Ægyptiam carnificinam miſeri inueniſſent. Adeò gens illa parum conditionis ſuæ memor, quâ miſerrimam vniuerſa apud Aegyptios, ſeruitutem ſeruierat, durè nimis ac crudeliter aduenas & contribules ſuos habuiſſet. Porrò ſicut genti vniuerſæ, pulcherrimo inſtituto, leges Modeſtiæ ac Clementiæ imperabantur; ita Diuitum ac Potentioris cuiuſque faſtus iſtâ ratione mitigabatur, cùm ſic intra Iuſtitiæ ac Lenitatis terminos cohiberi ſalubriter poſſent. Quando enim temporaneæ tantum eſſent emptiones, quorſum in eo ſuperbirent quod mox dimittendum foret? cùm Septimo, & Septies ſeptimo, Anno ſerere ac metere prohiberentur, à quo alimentum ſperarent niſi ab eo qui *dat eſcam timentibus ſe*, &
Pſalm. 110. Prou. 3. facit *in domo impij egeſtatem?* cùm ſeruos haberent mox vindicandos, quare in eos ſæuirent quos pares ſibi & æquales dein eſſent experturi? Hac igitur Lege latâ fiebat, vt moderata inter ſupe-

ſuperiores ac tenuiores officia eſſent: vt opes ac nimiæ diuitiæ *πάντων κακῶν ῥίζα*, iuxta Apoſtolum, *omnium malorum radix.* præciderentur: vt luxus ac faſtus, veræ ciuitatium ac Rerumpublicarum corruptelæ, ſubtractis fomentis citiùs elangueſcerent: denique, vt incõparabilis accepti à Deo beneficij, per quem ab Aegyptiis latomiis erepti fuerant, continua ante oculos memoria verſaretur. Quòd autem ſementem fieri Annis Sabbatariis Leges prohiberent, id ad conſeruandam Telluris fecunditatem ſalubriter imperatum, ne importunis agricolarum laboribus vexata, & aſsiduis frugum parturitionibus exhauſta, generi humano alendo non ſufficeret. *Deus enim* (inquit Henricus, Epiſcopus Ruræmondenſis) *qui vniuerſa hæc condidit, quiq; omnia vti propria diligit, non patitur ea indefeßis atque improbis laboribus perpetuò exerceri.* *In Quæst. de Iubil.* A cuius benignitate ac Indulgentiâ quàm longè diſsideant humani mores idem eleganter expreſsit: *Improbus ſanè miniſteriorum exactor eſt homo: vellet enim miniſtros habere ferreos aut æneos: vellet iumenta ſine vllâ requie fatigare: vellet terram omni anno proſcindere aratro, & colere: vellet ſidera & ſolem ſibi perpetuò lucere: &, quamuis ipſe tum animi, tum corporis quietem impensè quærat, optaret tamen res vniuerſas ſine vllâ quiete ſuo miniſterio addictißimas habere.* Ergo ſicut homines fatigati Sabbatò reſpirabant, ita Terra ipſa Annis Sabbatariis. Ioſephus pulchrè id oſtendit in Legibus Moſaïcis: Δι᾽ ἑβδόμου ἔτους ἄνεσιν δίδωσι τῇ γῇ ἀπό τε ἀρότρου καὶ φυτείας: ὥσπερ καὶ αὐτοῖς δι᾽ ἑβδόμης ἡμέρας τὴν ἀπὸ τῶν ἔργων προεῖπεν ἀνάπαυσιν. *Lib. 3. Ant.* id eſt: *Septimo quoquo anno remißionem agris dedit,*

dit, intactosq́; aratro & plantatione esse iußit, quemadmodum iam antè populo septimâ quaque die remißionem à laboribus dederat. Quàm verò ea *Remißio*, siue ἄνεσις, Telluri subinde necessaria sit, omnium seculorum experientia docuit. Sicut enim asiduis laboribus exhausti homines interpositâ cessatione vigorem accipiunt, viresque amissas recuperant; ita etiam communis hominum parens, modicâ quiete respirans, τὴν οἰκείαν δύναμιν ἀνακλᾶται (ait Philo) μέχρι παντελοῦς ῥώμης, εἶτ' ἄρχεται πάλιν τῆς τῶν ὁμοίων γενέσεως τροφὰς ἀφθόνους ἁπάσαις ζῴων ἰδέαις ἀναδιδοῦσα. id est: *ad antiquum robur virtutemq́; reuertitur, ac, veluti priùs, lárga similium frugum incrementa omni animantium generi benignißime suppeditat.* Idem alibi scriptor Mosem laudat, quasi illud *præmium* Telluri concesserit vt, pro multiplici fœtu ac sexennali abundantiâ, quietem sibi Anni Septimi attributam haberet. *Terra quietem* etiam Poëtæ agnoscunt. vt Virgilius I. Georgicῶν:

Lib. quod Mundus sit incorruptib.

Alternis idem tonsas cessare nouales,
Et segnem patiere situ durescere campum.

Et iterum ibidem:

Sic quoque mutatis requiescunt fœtibus arua,
Nec nulla intereà est inarata gratia terra.

Vbi Seruius Honoratus: *Cùm multa dicat* [Virgilius] *remedia agrorum recreandorum, ante omnia posuit Intermißionem.* Tibullus eadem phrasi, sed planè ad Hebraicum Ritum:

Lib. 2. El. 1.

Luce sacrâ requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso vomere cesset opus.

Cessasse verò etiam ab opere Romanos Sacrorum Feriis eruditè, præ cæteris, ostendit Macrobius

bius Libro I. Saturnal. c. XVI. quem, ſi opus, ſtudioſus Antiquitatis conſulet. Corollarij vice ſubnectam Heſiodi, antiquiſſimi Poëtæ, de fortunatâ Heroum ſede ſententiam, quibus Terram ſuâ ſponte, ter in anno, fructum proferre ſic tradidit:

Ολβιοι ἥρωες, τοῖσι μελιηδέα καρπὸν
Τρὶς τοῦ ἔτους θάλλοντα φέρει ζείδωρος ἄρουρα. *Lib. I. ἔργων καὶ ἡμ.*


Hoc eſt:

O fauſti Heroes, queis dulcis germina fructus
Ter, quocumque anno, Tellus fecunda reportat.

Idemque Vates ferreâ demum ætate ferreos homines enatos fingit, qui neque ſibi neque Telluri parcerent, improbo labori, die ac nocte, continuò inſtantes.

CAPVT VII.

IVBILEVM CHRONICVM: eo Anni ſupputati. Dionyſia *&* *Agones Sacri Græcorum;* Luſtra *&* *Agones Capitolini Romanorum: Anni* Semità, *&* *Sabbatici Hebræorum. Seculum Iubileum.* γονὰ *Herodici XXV. Annorum.*



SVpereſt altera Hebraici IVBILEI pars, quod CHRONICVM appellauimus ἀπὸ τοῦ χρόνου, ſiue à Temporum in Faſtis ac Monumentis Publicis diſtinctione. Quem Ritum apud Hebræos olim obſeruatum

docuit me Eusebius Cæsariensis in Chronico, cùm ad Annum Orbis conditi ∞. ∞. ita annotauit: *Principium XLI. IVBILEI secundum Hebræos. IOBEL autem apud eos Quinquagenarius annus vocatur. Itaque iuxta supputationem eorum ab Adam, vsque ad annum præsentem, sunt anni* ∞. ∞. Et iterum anno Septimo post mortem Mosis: *Principium LI. IVBILEI secundùm Hebræos.* Vnde perspicuum fit distinguendis Seculis atque Ætatibus IVBILEOS annos, tamquam Solemne maximum, à Iudæis Chronologis adhibitos. Augustinus tamen Torniellus, Annalium Scriptor, parciùs, immò vix, huiusmodi IVBILEORVM ærâ vsos putat, siue ex merâ cærimoniarum suarum negligentiâ, siue aliis de caussis quas ad primum annum ingressionis in Terram Chanaan, quartâ Mundi ætate, diffusiùs explicauit. Rem tamen vtilem, ac magno Veteris Historiæ bono & commodo futuram, si eam Tempora supputandi consuetudinem constanter tenuissent. Eorum vicem recentiores Hebræos vti putat Iosephus Scaliger Annis *Semità*, qui hodiè in locum Annorum Hebdomadicorum ipsis successerunt. Sicut enim magnâ Hebdomáde Anni Iubilei, ita & minutâ Anni Sabbatici in Annis distinguendis vsos vetustiores è Iosepho Historico potissimùm colligitur, bella quædam & obsidiones iis annis gesta subinde obseruante. Vtriusque autem Anni Iubilei ac Sabbatici Æram, ab anno primo ingressionis in terram promissam rectiùs computari, paullò infrà probabimus: etsi varij variè dissenserint. Equidem vt Hebræorum Chronologi,

Lib. 5. de em. Temp.

logi, de Eusebij sententiâ, tempora per IVBILEOS & SABBATICOS. ita Græcorum per DIONYSIA primùm, deinde per OLYMPIADES ac PYTHIADES, *Sacros Agones*, distinxere. De *Dionysiis* Suidæ testimoniũ est in hac voce: ἔθος ἦν Ἀττικοῖς λέγειν τὰ ἔτη καὶ τὸν ὑπερχέοντα ἀριθμὸν ἀπὸ τῶν Διονυσίων. Id est: *Moris fuit Atheniensibus, annos & eorum numerum ducere a sacris Dionysiacis*. De *sacris Agonibus* notiùs est quàm vt testimoniis firmari egeat. Hanc consuetudinem, vti multa alia Græcorum, æmulati Romani Veteres *Lustris* primùm *Censoriis*, deinde *Agonibus* Censorin. siue Certaminibus *Capitolinis* seriem Temporum annotârunt. Porrò IVBILEI voce *Annum* etiam *Quinquagesimum* intelligi, è laudatis Eusebij verbis, & qui eum secuti sunt Ioanne Funn- In Etymolog. gero, Georgio Crucigero, aliisque eruditis viris in Harm. 4. Linguarum. affirmari posse videtur: neque apud Hebræos modò, sed etiam Chaldæos, apud quos, voce paululum mutatâ, IOBILHA nominatur. Neque Annus modò ipse, sed spatium illud quod Quinquaginta Anni defluentes conficerent, eadem voce Hebræis appellatur. Quâ ratione שבת SABATH in Diuinis litteris pro Hebdomadæ cuiusque fine, & ipsâ Hebdomadâ sumi peritiores obseruarunt. Inde quod ait Pharisæus, apud Lucam, iactabundus: νηστεύω δὶς τοῦ Ieiuno bis in Sabbato. σαββάτου; sic accipiendum, vt bis in Hebdomade se ieiunare glorietur. Quod etiam est apud Euangelistas, μία σαββάτων: sic exponunt, Vna Sabbati. vt primam Hebdomadæ diem intelligant: eam scilicet, quæ festum SABBATI diem consequitur. Annus quoque *Semità*, iuxta Scaligerum,

non solùm annum quemque Septimum recentioribus Hebræis, sed & ὅλην annorum ἑβδομάδα, siue spatium Septem Annorum integrum retundumque complectitur: quale spatium etian SABBATVM ANNALE dictum vetustioribus
Ri. 5.c.1. Franciscus Ribera, in Rebus Sacris Hebræorum, nuper annotauit. Annus autem IVBILEVS, qui quadam ratione σάββατον σαββάτων erat, καὶ ἕβδομας ἑβδομάδων, tamquam vniuersi temporis plenitudinem in se continens, optimâ ratione SECVLVM in Diuinis Libris vocatur: nominatim Exodi XXI. cap. his verbis: *Quod si dixerit seruus. Diligo Dominum meum, & vxorem ac liberos, non egrediar liber: offerat eum Dominus Diis, & applicabitur ad ostium, & postes, perforabitq́ue aures eius subula*, *ET ERIT EI SERVVS IN SECVLVM*. De quo eius loci sensu ita Isidorus Lib. V. Originum: SECVLA *generationibus consistunt, & inde Secula quod sequantur. Abeuntibus enim aliis alij succedunt. Hunc quidam Quinquagesimum Annum dicunt, quem Hebræi* IVBILEVM *vocant. Ob hanc caussam & ille Hebræus qui propter vxorem & liberos amans Dominum suum aure pertusâ seruitio subiugatus seruire in seculum iubetur, hoc est, vsque ad Annum Quinquagesimum.* Vbi quid sit *generationibus consistunt* non adeò capio, nisi fortè quatuor γενεαὶ intelligantur, siue minora Secula XXV. Annorum, Centenario Seculo Magno comprehensa, iuxta opinionem Herodici Philosophi apud Censorinum; etsi, ex opinione aliorum, (quam & hîc fortè Isidorus tangit.) *Generatio* vnaquæque centum annorum spatium, quod humanæ vitæ lon-

longiſſimum putant, atque certiſſimum, comprehendat. Vnde & M. Varro doctiſſimus omnium Togatorum: *Seculum* (inquit) *ſpatium annorum centum vocârunt, dictum à Sene, quod longiſſimum ſpatium ſeneſcendorum hominum id putârũt.* Lib. 5. de L. L. Cenſorinus ita diſtinguit vt *Seculum Naturale* ſit ſpatium humanæ vitæ longiſsimum partu & morte definitum; *Ciuile*, quod Centenario annorum orbe tranſigitur. Porrò vti in *Seculo* definiendo non vna omnibus ſententia eſt, ita neque *Aetatis* aut *Aeui* eadem vbique ſignificatio. Ait enim Iſidorus: *Aetas pleraq; dicitur & pro vno anno, vt in Annalibus; & pro ſeptem, vt hominis; & pro centum, & pro quouis tempore, quod de multis ſeculis inſtruitur.* Ibidem. *Aeuum* etiam pro humanâ vitâ, & longiſsimo quouis tempore, pro ipſa denique Aeternitate apud omne ſcriptorum genus indifferẽter accipitur, & vſurpatur. Cùm ergo in Moſaicâ lege Bina Ivbilei ſecula centenario quoque Annorum gyro clauderentur, duas Legum Tabulas myſticè referentia; meritò Christianae Felicitatis tempore, cùm Sacrum Dei Evangelivm quaternis ſcriptum voluminibus in quatuor orbis partes propagatum eſt, Quaterna Gratiæ ac Remiſſionis Secvla ſingulis redeunt Centenariis, xxv. Annorum ſpatiis definita: quo ſpatio, ex Herodici ſententia, Orbem vnius Aetatis explemus, *ac Natura humana à ſementi ad ſementem reuertitur.* apud Cenſorin. Verè corrupta noſtra Natura Anno Seculari à ſementi ad ſementem reuertitur cùm relictis veteris nequitiæ & impietatis operibus ſementem Pœnitentiæ concipit: de

Psalm. 125. quâ ſeminatione Regius Propheta: *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent.* cùm pariter
Pſai. 50. Verbi Diuini ſemen *corde contrito & humiliato*
Matth. 13. recipit, vt fructum afferat *ſexageſimum* ac *centeſimum*, Deo gratum & acceptum, in labore ac patientiâ: cùm denique à ſementi odij, iracundiæ, peruicaciæ, vindictæ, ad ſementem Pacis, Concordiæ, Benignitatis ac Clementiæ, peſſimum etiam quemque, Diuinæ Gratiæ aſpirante Fauonio, perduci videmus. Quam verè admirabilem Metamorphôſin olim prædixerunt, Iſaias cap. XXXV. *Latabitur deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.* Et iterum: *In cubilibus in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci.* Et Regius Propheta Pſalm. LXIV. *Benedices corona* ANNI BENIGNITATIS TVAE, *& campi tui replebuntur vbertate. Pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. Induti ſunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento. Valles* ſcilicet per inſignem Pœnitentiam & ſinceram peccatorum expiationem in conſpectu Domini, & Eccleſiæ eius Sanctæ, humiliatæ: ac proinde, Diuinâ ſuperabundante Gratiâ & Indulgentiâ, repletæ. Faxit ſummus ille Agricola ne in nouitiis
Matth. 13. agellis *veniens inimicus homo ſuperſeminet zizania*, & ſementem Patrisfamilias odioſâ molitione perturbet.

CA-

CAPVT VIII.

IVBILEVM apud Hebræos quando primò celebratum: item Annus Septimus Remiſſionis. Vtriuſque Epocha inueſtigata, & ratio ſupputandi.



Ic verò nobis diſputandum occurrit (quod magna etiam Ingenia exercuit) de Annis Sabbatico ac Iubileo quando primùm celebrati ſint, deque legittimis ac veris eoſdem ſupputandi modis. In quâ re tanta hactenus opinionum διχοτομία, tanta ſententiarum diuerſitas fuit, vt Plautinæ illud Pœnoli iure hîc vſurpare quis poſsit: diuiſio

Hæc quidem pol, credo, niſi Sibylla legerit
Extricare alium arbitror poſſe neminem.

Dum enim alij LXX. Interpretum ſententiam ſecuti, alij Hebræam Chronologiam præferre maluerunt; non vnius modò aut alterius Anni, ſed multorum ſæpè ſeculorum diſcrimine à ſe inuicem diſſentiunt. Itaque minutâ & exactâ de Orbiſ conditi Epochâ diſputatione prætermiſſâ, à quâ incertitudo omnis naſcitur; & de quâ nihil certi pronunciari poſſe viri eruditiſsimi credunt; illud tantum inquiremus quoto ingreſſus in Terram Promiſsionis anno primus Sabbaticus, quoto Iubileus, è Diuina Auctoritate, obſeruatus ſit. De Mundi ergo Annis in deſpera-

to,

to, vti multi putant, negotio nihil affirmo; illud tamen pro certo affirmari potest populum Israëliticum quadraginta annorum curriculo, incertis sedibus vagatum, prolixa terræ Chanaan desideria in deserto, sustinuisse. Quod cùm ex variis veracissimæ Scripturæ locis, tum isto sigillatim Num. c. XIV. insigniter comprobatur: *Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in deserto; iuxta numerum XL. dierum quibus considerâstis terram. annus pro die imputabitur.* Huius etiam rei in Diuinâ Scriptu-
Foris. râ veritatem, quæ aliis tamen ἔξωθεν testimoniis non eget, ex Annorum vitæ Mosis & Aaron, eius populi Ducum, ratione Augustinus Tor-
ad an. Mundi 2583. niellus in Annalibus Sacris argutè collegit: quem, si libuerit, videbis. Caussa tantæ illhîc moræ ea est quam Diuinæ Litteræ passim, & locus è Libro Num. laudatus produnt, inobedientia eius populi ac ingratitudo in DEVM commissa: parua etiam fides promissis eius sanctissimis sæpè habita, etsi à summâ Veritate nusquam fallerentur, & à manifesto rerum suarum discrimine, ærumnisque omnibus ac periculis, per continua
Num. 14. Iosu. 14. fere Miracula, liberarentur. Excepto ergo Iosue & Chaleb nemo vltra XX. annos natus, Aegypto profectus, Iordanem transiit: Diuino Numine meritas à contumaci populo exigente pœnas, & horum pietati iusta præmia tribuente. Anno verò vltimo eius Peregrinationis, siue Erroris, in fine mensis vndecimi, quem Hebræi
Ioseph. lib. 4. Antiq. Deut. 31. & 34. postmodum SEBETH appellârunt; siue, vt aliis traditum, principio insequentis ADAR, MOSES,

DEI

Dei iuſſu, in monte Abari è vitâ conceſsit; ætatis ſuæ anno cxx. qui fuit Annus Mundi, iuxta Torniellum, ∞. ∞. IↃLXXXIII. iuxta Euſebij & LXX. Interpretum ſententiam, ∞. ∞. ∞. IↃCCXXX. iuxta alios alius. Inſequentis verò anni principio, menſis Nisan die decimâ, (cuius menſis die decimâ & quinctâ ab Aegypto olim exierant) populus in terram diu deſideratam, tranſmiſſo Iordane flumine, primùm intrauit. Quo ipſo anno cùm Iosve F. Nvn diuinis arbitriis indicandi Israelis poteſtatem ſuſcepiſſet, anniſque poſt aliquot prœlia Domini, contra rebelles terræ incolas, feliciter prœliatus eſſet; demum præclaris obtentis victoriis, terraque in ditionem redactâ, ad diuidendam ſuam cuique Tribui hæreditariam portionem animum adiecit. Itaque quidquid cis Iordanem agrorum fuit Nouem Tribubus & dimidiæ Manaſſe ſorte diuiſit: duabus aliis cum reliquo Manaſſe prætceritis, quod ij iam antè à Moſe, trans fluuium, aſsignatas ſibi ſedes haberent. Porrò annus ille κληρουχίας, ſiue, Aſsignationis, quem ab Exodo XLVI. Scaliger, XLVII. Torniellus fuiſſe putant (nam aliorum exerrationes de induſtriâ præterimus) non is fuit à quo Sabbaticus ac Iubileus Anni computari cœpti; ſed Annus ab illo proximus, qui primus in Terrâ promiſſâ ad γεωργίαν, ſiue, agros excolendos, Iſraëlitas vocauit. Annus igitur Sabbaticvs Primvs VII. à primo γεωργίας, VIII. à primo κληρουχίας, LIII. ab Exodo, XIII. ab ingreſſu in Terram Chananæi fuit. Eadem verò de Anno Ivbileo, (nam eandem Epocham ſiue

Ioſue c.4.

Num. 34.

agriculturæ diuiſionis agrorum.

ſiue Æram habuerunt) eſt ratio. Inueniendi autem illorum Æram non minima etiam difficultas eſt: quam alij ab Exodo, vt Lælius Zecchius; quidam à γεωργίας, vt Scaliger; nonnulli à principatu Ioſue, & aſcenſu in Terram Chanaan, vt Torniellus, Fungerus, & Ribera, deducunt. Mihi, ſi quid inter tot Lynceos, Cimmeriis veluti in tenebris, palpare permiſſum: poſterior ſententia maximè arrideat: cui etiam Diuinæ Scripturæ teſtimonium, velut Ariadnæum filum, accedere videtur. Capite enim illo, toties laudato, Leuitici, Dominus præcipit: *Quando ingreſsi fueritis terram quam ego dabo vobis, Sabbatizet terra Sabbatum Domini*. Clariùs Deuter. c.XXXI. *Poſt ſeptem annos, anno Remiſsionis, in Solemnitate Tabernaculorum conuenientibus cunctis ex Iſrael, vt appareant in conſpectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus*. quibus, & ſequentibus verbis, Lectionem illam Solemnem Diuinæ Legis inſtituit, anno Septimo repetendam: de quâ initio agebamus. quæ verba paucis antè Hebdomadis quàm ingreſſuri erant in terram Chananæam à Prophetâ ſunt dicta. Vt dubitandum non ſit quin Anno ipſo τῆς κληρουχίας, vel, qui ab illo proximus fuit, Primus SABBATICVS ſit actus. Atque ita noua terra nouis habitatoribus aſſignata nouas ferias in ipſâ ſui aſsignatione celebrauit. Inſigniter certè in Primo IVBILEO ſupputando lapſus Fungerus, Etymologici ſcriptor, qui eumdem fuiſſe putat cum primo Ingreſsionis in regna Chanaan, & quincto principatus Ioſue Ducis. Nam vt alterum tranſeamus, in quo nullum, credo, adſtipulatorem

Ἐν νῷ, Tabulam.

latorem habet; alterum ſanè concedere ei non poſſumus, cùm diurnâ luce ſit clarius ſtatim à morte Moſis Ioſue præeſſe cœpiſſe, exequiiſque illius peractis induxiſſe copias in Promiſſionis Terram, & ad obſidendam Hiericunta, tranſmiſſo flumine contendere cœpiſſe. Quâ ratione Annus ille qui mortem Moſis conſecutus (Quadrageſimusprimus, vti Torniellus putat, ab Exodo) & nouæ Hæreditatis gaudia Iſraelitis, & eorum Duci auſpicia dignitatis attulit. Quarum rerum certitudo præter ea quæ apud Torniellum adferuntur partim ex Diuinarum Litterarum monimentis, partim è Fl. Ioſepho ſub initium Libri V. Antiquitatum peti poteſt. Quâ verò ratione Anni Sabbatici ac Iubilei olim putarentur, eruditè ac perſpicuè Abulenſis docuit; cuius doctrinam Torniellus & Ribera, reiectis aliorum opinionibus, ſequũtur. Sic namque numeratos fuiſſe putat vt alter alterum non contingeret, ſed ſeparatim vterque & integrè numeraretur. Sicuti enim Hebdomade vnâ Annali elapſâ incipiebat altera Hebdomas computari; ita abſoluto Quinquageſimo quoque anno incipiebant alij Quinquaginta numerari. Atque ita tota temporum ratio apud Hebræos per Septenarios & Quinquagenarios commodè diſtingui poterat: ita tamen vt ſemper vterque numerus incorruptus remaneret. Alios ſupputandi modos diligens Lector apud nominatos Auctores, & de vtroque Anno curioſiora apud Scaligerum F. inueniet. Nos inſtitutæ breuitatis memores, omiſſis Temporum ſcrupulis, rem ipſam proſequemur.

ad Ann. M. 2514.

quæſt. 7. in 25. Leu.

Lib. 5. de em. Temp.

CAPVT IX.

De origine CHRISTIANI IVBILEI quæsitum. antiquissimum illud videri, & ab initio nascentis Ecclesiæ. Nomen IVBILEI quando assumi cœptum. Vtriusque Iubilei comparatio: Nostri Symbolum in Arcâ Diluuij.



Venimus ad CHRISTIANVM IVBILEVM, de cuius initiis non eadem omnibus sententia est. Quidam enim altiùs ea repetentes ab ipsis Ecclesiæ primordiis ducere non dubitant; alij verò, mediâ quasi viâ incedentes, à LVDORVM SECVLARIVM apud Romanos intermissione, aut CONSTANTINI MAGNI, qui primus eos celebrare contempsit, Imperij temporibus; multi denique, quasi minùs antiquum, vltra BONIFACII VIII. tempora non extendunt. Mihi semper ea sententia verior visa, quam nostri temporis Scriptores maximè amplexi sunt, videlicet ab ipso ECCLESIAE CHRISTIANAE principio, in Vrbe Româ, *Remissiones* aliquas *Plenarias* indictas & obseruatas fuisse, quales deinde in ius redactas BONIFACIVS VIII. promulgauit, & CLEMENS VI. IVBILEI nomine affecit. Cui sententiæ stabiliendæ atque firmandæ illud adduci potest: olim vti solemnis ad *Apostolorum Limina*, singu-

ſingulis annis, Chriſtianorum peregrinatio fuit, immò Præſulibus Eccleſiæ per Conſtitutiones Pontificias antiquiſſimas iniuncta; ita ſingulis Annis Centeſimis, ob Seculi παλιγγενεσίαν, Solemne aliquod fuiſſe quod cæteris & peregrinātium multitudine ac numero, & cærimoniarum ſanctitate, ac Gratiarum Spiritalium elargitione, celebrius eſſet atque præſtantius. Quemadmodum Romani veteres, præter Statas cuiuſque Anni Ferias ac Sacrorū cærimonias, SECVLARE SACRVM habuerunt quod Centeſimo quoque Anno, aut Centeſimodecimo (vt aliis placuit) ſolemniter rediret: in quo omnibus Theatris Ludi exhiberentur, omnibus Templis ſacrificaretur, & ad omnia Puluinaria dona ferrentur, ac ſupplicationes fierent. Quem fortè morem ab impio Deorum cultu ad Veri Numinis, ac ſanctiſſimorum Eccleſiæ Principum venerationem, transferentes Romani Pontifices, vti multa alia auertendæ Idololatriæ, ſalubriter in Vrbe Româ, ſtatis Centenariis, obſeruari præceperunt. Quam opinionem noſtram ipſi adeò Romani Pontifices approbârunt, vt IOANNES PICARDVS, cognomento MONACHI, qui doctiſſimè BONIFACII VIII. de IVBILEO conſtitutionem interpretatus eſt, ex ipſo BONIFACII ore ſe audiuiſſe teſtetur vnam hanc INDVLGENTIAE MAXIMAE, more maiorum, Centeſimo quoque anno promulgandæ rationem animum eius permouiſſe. Quin ipſemet BONIFACIVS in ſuæ Conſtitutionis initio ſatis vetuſtatem huius rei innuit, cùm *Antiquorum habere fidam relationem*, inquit, *quòd accedentibus*

Vide inf. c. 12. regenerationem.

Cenſorin. Val. lib. 2. Herodian. Zoſimus l. 2. alij.



In Gloſſ. ad c. antiq.

AD HONORABILEM BASILICAM PRINCIPIS APOSTOLORVM DE VRBE *concessæ sint magnæ Indulgentiæ & Remißiones peccatorum.* ALBERICVS etiam ROSATENSIS, & ANANIAS, antiqui iuris Pontificij Interpretes, INDVLGENTIAS, quales BONIFACIVS VIII. publicauerat, antiquissimis temporibus in Ecclesiâ receptas fuisse testantur: earumque rerum vetustissima Diplomata vidisse se Romæ cùm illam Anno seculari ∞. CCC. L. inuiseret, ROSATENSIS scriptum reliquit. BAPTISTES insuper PLATINA, in vitâ eiusdem Pontificis, sic loquitur: IVBILEVM *quoque idem retulit Anno Millesimo trecentesimo, quo plenam delictorum omnium remißionem his præstabat qui Limina Apostolorum visitâssent.* quo genere loquendi satis ostendit instaurâsse eum tantum Indulgentiam illam, non verò instituisse aut primùm in vsum Ecclesiæ induxisse. *Referimus* enim quæ iam ante nos in vsu fuerunt. Quâ loquendi ratione vsus etiam Censorinus de LVDIS SECVLARIBVS, longè ante sua tempora seruatis: *Temporum*, inquit, *interualla quibus Ludi isti debeant referri non modò quanta fuerint retrò ignoratur; sed ne quanta quidem esse debeant scitur.* Iuxta BONIFACII testimonium (quod sanè ἀξιόπιστον est; primus enim IVBILEI Formulam Decretis addidit, eumque *eruditissimum* fuisse temporum ipsius Annales testantur) aliud quoque fide dignissimum est CLEMENTIS VIII. Pontif. verè OPT. MAX. qui in suo Diplomate SECVLARIS IVBILEI, ritum hunc ab initio nascentis Ecclesiæ originem duxisse asseuerat, quo accedentibus ad Basilicam Princi-

In Diction. verbo, Iubileus.

fide dignum.

pis

pis Apostolorum Priuilegia, ac Remissiones criminum vberiores, concederentur. De quo Ritu nosipsi in processu huius Commentarij paullò diffusiùs quædam exsequemur. Ad sertæ à nobis sententiæ veritatem luculento exemplo etiam firmat MARTINVS NAVARRVS I. C. nobilissimus è IACOBO CARDINALE, vetusto item scriptore. Narrat enim Anno Seculari ∞. CCC. ingentem multitudinem ex longinquis & diuersis regionibus confluxisse in Vrbem Romam, ad sacram B. PETRI Basilicam visitandam: cuius rei caussam afferebant Centesimi Anni tempus, quo omnium culparum sordes abluerentur. & tunc prouectæ ætatis hominem fuisse qui recordaretur Patrem suum superiore Seculo in Vrbem ad hoc solemne venisse: à quo etiam admonitus fuerat vt, si ad futuri Centesimi tempus perueniret, paterno exemplo commonitus peregrinationem eam susciperet, tantique beneficij particeps fieri satageret. Addit ex eodem Nauarrus, *multos tum ex Gallis, tum ex Italis, superstites fuisse qui eamdem rem meminissent.* Laudabilem senex ille pietatem, si Gallus fuit, haurire potuit à sanctissimo Francorum Rege D. LVDOVICO, qui pariter ex hac vitâ cessurus, inter alia præcepta quæ Filio Heredi reliquit, hoc quoque adiunxit, auctore Gaufrido, vt Indulgentias, à Sede Apostolicâ concessas, semper expeteret studiosè. Quare non iniuriâ ἑτεροδόξων quorumdam commenta, & ipsius POLYDORI VERGILII (si modò ipsius est; nam Germanus quidam Polymnestor eius famam trucidauit.) ἀβλεψίᾳ reiicimus, qui non modò

Notab. 1. de Iub. n. 10.

Hæreticos designo.

inconsideranciam.

IVBILEI STATI BONIFACIVM auctorem, sed INDVLGENTIARII Ritus inuentorem, asserere non erubescunt. Enimuerò etsi res ipsa apud Orthodoxos antiquissima est, IVBILEI tamen nomen seriùs receptum, neque ante tempora CLEMENTIS VI. Pont. qui Annum Quinquagesimum sacrauit, vsurpatum legimus. Exemplum scilicet imitato Pontifice Anni Remissionis & Gratiæ apud Hebræos, qui Christiani IVBILEI *typum* aliquem gessisse videtur. nisi rectiùs *similitudinem* dicere conueniat; cùm Typus Veteris IVBILEI in die Quinquagesimo PENTECOSTES à sacrâ DOMINI Resurrectione expletus sit: vt à doctissimo NAVARRO eruditè obseruatum in Commentario de Anno Iubileo. Fatendum tamen, cum eodem Nauarro atque aliis, non parum similitudinis inter vtrumque IVBILEVM reperiri. Quemadmodum enim in HEBRAEO terra à culturâ cessabat, & gratâ laboris intermissione fruebatur; ita ab omnibus orbis Terræ partibus in Vrbem concurritur, vt ibi Christiani veram animorum quietem, à lassitudine viæ iniquitatis inueniant. Et quemadmodum in illo Æs alienum remittebatur, nexi & compediti soluebantur; ita nunc *vincula* criminum *dirumpuntur*, & *chirographum decreti, contrarium nobis*, per merita crucis CHRISTI, ac Sanctorum, in Asylo Romano deletur. Et sicuti exules Anno Sacro ad natalem terram ac familiam redibant, agrique veteribus possessoribus reddebantur; ita quisquis, filij prodigi instar, longè à paternâ domo profectus substantiam omnem absumpserit, in gratiam recipitur; stolâ

e. Vulgenius de Pen. & Rem.

Nu. 4. n. 1. & 2.

Sap. 7.

Psalm. 115.
Col. 2.

Luc. 15.

ſtolâ nouâ Innocentiæ induitur; Vitulo ſaginato S.SYNAXEOS reficitur; & in adoptionem Filiorum Dei, vnde exciderat; cæleſtiſque Paradiſi portionem Hereditariam reſtituitur. Meritò ergo Annus IVBILEVS noſter PLACABILIS DOMINO vocabitur, in quo *Vnctus* ille *Domini*, & *Sanctus Sanctorum*, per Vicarium ſuum Romanum Pontificem, toto orbe terrarum prædicat *Medicinam contritis corde, captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem:* Meritò ob eaſdem cauſſas Annus LIBERTATIS, & REMISSIONIS: Meritò Annus GERMINANS ac FRVCTVOSVS, in tam vbere Priuilegiorũ ac Gratiæ prouentu: Meritò deniq; Annus SANCTIFICATIONIS dicitur, in quo per ſalutarem Metanœam, ac eximiæ Pietatis & charitatis opera, mundati à ſceleribus Chriſtiani ſancti Deo ſuo, & accepti Sanctorum communioni redduntur. Fortunati huius Anni Symbolum præclariſsimum inuenio in Noæi Arcâ, quæ CCC. cubitos Longitudinis, L. latitudinis, XXX. altitudinis habuiſſe memoratur. in quâ numerus Quinquagenarius Sacræ Libertatis myſterium; Latitudo verò, cui dicatus eſt, *dilatationem cordis* apud gaudentes Chriſtianos, ſiue *dilatanda charitatis ſpatia* Anno Iubileo, arcanâ quadam ratione, ſignificat. Porrò Noæi Arcam Eccleſiæ Catholicæ Typum geſſiſſe, extra quam regnante Diluuio nulla reperitur ſalus, certiſſima Patrum auctoritas eſt. Nauarchus illius Noæus, ſiue Noë, qui & fabricator, Diuinis imperiis fuit, OCTAVVS, & PRÆCO IVSTITIÆ, & QVIES dictus, ſeptem ſibi animabus electæ familiæ adiunctis. An non hodie alium NOE inue-

Rom. 8. *Iſaia 61.* *Pſalm. 118.* *D. Auguſt.* *Gen. 7.* *2. Petr. 2.* *Philo lib. de Abrahamo.*

inueniſſe videntur Chriſtiani OCTAVVM VRBANVM, PRÆCONEM IVSTITIÆ, PRÆCONEM & GRATIÆ, Naui Eccleſiæ feliciter præſidentem: hoc eſt, Arcæ illi Sanctiſſimæ præfectum, in quâ ſeptem animæ, ſiue vniuerſus credentium Numerus, Septenario τοῦ σύμπαντος indice compre- Vniuerſitatis henſus, QVIETEM inueniunt, & in mediis turbulenti maris fluctibus ad Portum Salutis tutò diriguntur? Inuenerunt certè, eamque FELICITATEM temporibus ſuis imputent, Diuinæ Clementiæ gratulati quæ talem in communi neceſſitate Orbi Patronum, Eccleſiæ ſuæ Præſidem prouidit, qui non modò in fluctibus regere, ſed & ipſos componere, pacalemque oliuæ ramum extincto bellorum cataclyſmo (quod vouemus, & ſperamus) portendere poſſit. Cuius Voti εὐφημίαν verſiculis noſtris, veluti ſponſoribus, abſoluam: Felix præſagium.

Hoc Duce, quæ noſtri ſuperabant crimina ſæcli,
Diffugient terris: poſitis iam mitior armis
Agnoſcet Latios felix Germania faſceis,
Cæſareaſq; aquilas: iam duri bella Batavi
Odiſſe incipient: toto Furor impius orbe
Cedet, & ætheriis viſet Pax aurea regnis.

CA-

CAPVT X.

INDVLGENTIAE nomen Latio familiare. quo hodie sensu Christianis vsurpatum. De Satisfactione, Igne Purgatorio, Thesauro Ecclesiæ, Clauium Potestate quædam è doctrinâ Orthodoxorum prolata.



Vm IVBILEI & INDVLGENTIARVM eadem origo sit, neque alio quàm istarum nomine olim censerentur, vulgoque à Scriptoribus communiter explicari soleant; operæpretium fortasse erit si, de INDVLGENTIARVM ac REMISSIONVM apud Orthodoxos Auctoritate, & Antiquitate, pauca in medium attulero. Pauca, inquam, vt in re iam sæpiùs actâ, & à viris Magnis, Sectariorum antagonistis, minutissimè solidissimeque disputatâ. INDVLGENTIÆ nomen (nequis sciolus aut morosus, vt barbarum & ineptum, hoc sensu, aspernetur) ab Imperatoribus ac veteribus I.C. ita vsurpatum est, vt Remissionem quamdam καθολικὴν criminum, publicæ ferè lætitiæ caussâ concessam, propriè ac solemniter significaret. Vnde Titulus est in Codice Theodosiano *de Indulgentiis criminum*, in quo nominatim Lege tertiâ, vt obseruat Bellarminus, Remissio quoad pœnam Legibus debitam INDVLGENTIA vocatur.

l. Luc. ff. ad S.C. Turpil. & l. Indulg. C. de gen. abol. generalem.

l. de Indulg. c. 1.

tur.

tur. Eas condonationes INDVLGENTIAS etiam vocat Ammianus Marcellinus Lib. XVI. & Optatus Mileuitanus Lib. II. aduersus Parmen. his verbis: *Tempestas persecutionis peracta est, & definita est, iubente Deo, Indulgentiam mittente Maxentio.* Quare Imperatores qui huiusmodi rerum liberales essent, scribentium adulatione, *Hub. Golt. in Thes. Ant.* INDVLGENTISSIMI PRINCIPES, in Veteribus Monimentis quandoque nominantur. Hanc igitur vocem mutuati inde Theologi, & I.C^ti. nostri, INDVLGENTIAM vocauerũt, *Pœnæ temporaneæ Deo ob peccata nostra debitæ, extra Sacramentum Pœnitentiæ, factam relaxationem: sic tamen vt Diuinæ Iustitiæ per applicationem Meritorum*, quæ Thesauro Ecclesiæ continentur, *satisfiat.* Quæ definitio etsi per se satis clara sit, vtpote à magno illo *Ibid. c. 1.* Ecclesiæ lumine Cardinale Bellarmino ferè mutuata; clarior tamen fiet si naturam ipsius SATISFACTIONIS, vnde rei Indulgentiariæ maximè pendet explicatio, breuiter exposuerimus. Duo omninò Mala esse fatentur Theologi quæ è peccato originem suam ducant: hoc Maculæ, siue *Culpæ*, illud Supplicij, vel *Pœnæ*, ipsorum Scholæ appellant. In confessione quidem delictorum coram Sacerdote, Christi Vicario, legittimè factâ à Maculâ, vel Culpâ, Christiani expurgantur; eademque operâ à pœnâ æternâ, cui fortè erant obnoxij, liberantur; euenit tamen sæpissimè vt remissâ culpâ, & æterni ignis punitione sublatâ, Pœna quædam temporanea Deo soluenda permaneat, ad quam opus sit Satisfactionis adiumento. Quæ nisi fiat in mortali hac vitâ siue per nos, siue per Ecclesiam nostro nomine;

mine; Ignis purgatorij supplicio, in alterâ necessariò eluenda. Et in hac quidem vitâ, in quâ *Tempus acceptabile est*, & *dies salutis*, paruâ sæpè operâ Pœnitentiæ impensâ, Sacrisue Remissionibus in subsidium assumptis, magnos cruciatus euadimus; in alterâ verò, quæ *nouissimum quadrantem* exigit, magnis cruciatibus parua luemus peccata, & ab iniquitatis, etiam minimæ, scoriâ ad purum purgabimur, & excoquemur. Quare terribiles istos Prophetarum locos in eum sensum adducit Magnus Augustinus, Isaiæ IV. *Abluet Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Ierusalem lauabit de medio eius, in spiritu iudicij, & in spiritu ardoris*. Malachiæ III. *Ipse quasi ignis conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & argentum*. Ideò fortissimus Christi testis D. Cyprianus, felices eos existimabat qui acerbissimi etiam Martyrij pœnis toleratis, ignem illum expiatorium euaderent: ac si aliquis obolo vno numerato talentorum aliquot impensam redimeret. Verba ipsius sunt è Libr. IV. Epistolarum: *Aliud est longo dolore pro peccatis cruciatum emundari, & purgari diu igne; aliud peccata omnia passione purgâsse*. Ignis certè illius pœnam omnibus pœnis ac suppliciis, quæ in hac vitâ tolerari possint, longè grauiorem esse, atque acerbiorem, ex Veteri Ecclesiæ Traditione, & SS. Cypriano, Augustino, Gregorio, Hilario Arelatensi, V. Bedâ, aliisque Ecclesiasticis Scriptoribus, Theologi nostri adfirmant. Quamobrem nihil mirandum si tormenti huius acerbitatem leniri sibi petat Prudentius, pius & eruditus Poëta.

2. Cor. 6.

Matth. 5.

Lib. 20. de Ciu. c. 25.

in fine Hamartig.

At mihi Tartarei ſatis eſt ſi nulla miniſtri
Occurrat facies, auidæ nec flamma gehennæ
Deuoret hanc animam, merſam fornacibus imis;
Eſto cauernoſo, quia ſic pro labe neceſſe eſt
Corporeâ, triſtis me ſorbeat ignis Auerno:
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent, æſtuq́ calor languente tepeſcat.
Lux immenſa alios, & tempora vincta coronis
Glorificent; me pœna leuis clementer adurat.

Seuerinus quoque Boëtius (quod neſcio an hactenus obſeruatum ſit) verbis Diuinæ Philoſophiæ, *magna animarum ſupplicia poſt defunctum morte corpus relinqui aſſerit, quarum aliæ pœnali acerbitate, aliæ purgatoriâ clementiâ exerceantur.* (lib. 4. de conſ.) Vbi duo notabilia ἀντίθετα conſideranda ſunt, *Magna ſupplicia*, &c, *Purgatoria clementia*. Suppliciorum enim magnitudo ea eſt in Igne, quam diximus; clementia verò Dei etiam illhic, quod animæ illæ *conſumptæ non ſint, abſque vllâ ſpe*, (Iob 7.) nec æternis ignibus prout fortè meruerant, deputatæ. Rideant hæc & ſubſannent ſubſtrictâ nare δοκησίσοφοι quidam, & argutuli (vt ſibi videntur) (in ſpeciem ſapientes.) Sectarij noſtri æui quaſi anile delirium, aut ſomnij interpretamenta, vel fabellam aliquam (vti ludere ipſis libet) è Platonicis ſubſelliis cōfictam; illi, inquam,

— qui ſtultitiam nauſeant,
Et, vt putentur ſapere, cælum vituperant.

Rideant verò miſeri, ſubſannent, vituperent; ego cum vniuerſâ Eccleſiâ, quæ hanc doctrinam conſtanter ſemper tenuit, & cum talibus viris, boniſque omnibus, anilitatis, vel, ſi quid deterius eſt, accuſari ab ipſis malo, quàm inter

Thale-

Thaletes eorum aut Solones fatuæ Sapientiæ nomine çenſeri. At ſi quis fortè ex iſto numero, Dei miſeratione, reſipiſcens, & ad ſe rediens, pharmaca quæreret peſtiferæ opinioni amouendæ; is ea videat quæ è S. Scripturæ libris, Veterum Conciliorum ac Patrum auctoritate, de *Purgatorij Ignis* ſupplicio, Franciſcus Turrianus Libr. pro Canonib. Apoſtolor. IV. Boëtius Epo in Appendice Syntagmatis de Indulgentiis, Ioannes Garetius in Aſſertione ſuâ, Cardinalis Bellarminus in Controuerſiis, Gregorius Valentia in locis Theologicis, & alij quamplurimi ſcriptores Orthodoxi tradiderunt. Huic ſupplicio euitando, vel emolliendo, τῆς ἱκανοποιΐας remedium ab Eccleſiâ Sanctâ proponitur: cuius præcipua opera illud Raphaelis Archangeli dictum in Hiſtoriâ Tobiæ complectitur: *Bona eſt Oratio, cum Ieiunio, & Eleemoſynâ.* Sicut enim auium corpora duarum remigio alarum librantur, ac ſurſum tendunt; ita Oratio, quæ inſtar Aquilæ, volucrum Reginæ, altiſſima petit, ac *eleuatio mentis in Deum eſt*, felicius ſubuolat ſi duabus illis alis appoſitis ſuſtentetur, & à terrâ eleuetur. At verò cùm, è vulgato Iuriſconſultorum pronunciato, *Pœna debeat reſpondere delicto*; fit ſæpenumerò vt grauiſſimis peccatis admiſſis vix leuiter Deo offenſo ſatisfiat: ſiue id animi ſocordia impediat, ſeu corporis imbecillitas, aut vitæ huiuſce breuitas animi promptitudinem interrumpant. Manet ergo obærata Deo anima, & quamuis ob Sacramenti Pœnitentiæ virtutem æternas pœnas euadat; cæleſti tamen Gloriæ, propter adhærentem ſibi labem, adhuc tranſſcribi

Satisfactionis.

Cap. 12.

Damaſ. lib. 3. Orth. fid. c. 4.

transſcribi non poteſt. Quorſum igitur fugiendum in tantò periculo, cuiuſue tunc auxilium, aut ſubſidium, implorandum? MATRIS ſcilicet BENIGNISSIMÆ, ECCLESIÆ ROMANÆ CATHOLICÆ, quæ, Filiorum inopiam aut imbecillitatem miſerata, ipſa pro Filiis ſatisfacit, impenſis incomparabilis illius Theſauri diuitiis, quem ex Sanguine Redemptoris, Deiparæ Virginis, Iuſtorumque omnium Meritis collectum, velut *Sanctius* quoddam *Aerarium*, aut κτῆμα κτημάτων poſſidet, in publicâ neceſſitate per Supremum Sacerdotem liberaliter diſpenſandum. De quo verè pretioſo Theſauro GREGORII XIII. PONT. MAX. τοῦ μακαρίτου verba pretioſa proponam: *In Diplom. Anni 1575. Iubil.* *Dominus* (inquit) *ac Redemptor noſter* IESVS CHRISTVS, *qui pro ineffabili charitate ſuâ ſerui formam accipiens, acerbiſsimam Crucis mortem ſubire dignatus eſt, vt Deo Patri genus humanum reconciliaret, atque in ſortem hereditatis æternæ vocaret; volens noſtræ pleniùs ſuccurrere imbecillitati, & donum hoc pretioſiſsimo ipſius* SANGVINE *copioſiùs communicare; ne lapſis, poſt Regenerationis lauacrum, opportunum eiuſdem Diuinæ Miſericordiæ deeſſet ſubſidium;* B. PETRO *Apoſtolorum Principi, eiuſq; deinceps ſucceſſoribus, ſuis in terris Vicarijs, ſanctæ* CATHOLICÆ ROMANÆ *præpoſitis* ECCLESIÆ *(quæ* CÆTERARVM OMNIVM CAPVT, MATER, ET MAGISTRA *eſt) poteſtatem dimittendi peccata pleniſsimam reliquit: ac* THESAVRO *prætereà immenſo Meritorum eiuſdem Paſsionis, cui etiam Glorioſiſsimæ ſemper Virginis* MARIÆ, *omniumq; Sanctorum Merita accedunt, idcircò ditauit Eccleſiam, Sponſam ſuam: eumq; prædictis* B. PE-

TRO,

TRO, *& successoribus dispensandum commisit, vt ex eo cæteri Fideles pro temporalibus pœnis, ex remissis culpis sæpius remanentibus, ad satisfaciendum adiuti, ad percipiendos cælestis Gratiæ fructus expeditiores redderētur.* Quæ ideò liberaliùs adscripsimus quòd doctrinam de Ecclesiæ Thesauro, immensis aliorum voluminibus clausam, breuiter ac eleganter aperiant: pondus etiam habeant ab illo prolata, *cuius labia custodierunt scientiam*, & *è cuius ore*, tamquam Sacerdotum Sacerdotis, ac Diuinarum rerum interpretis summi, *Legem* meritò *requirimus*. Enimuerò Thesaurum illum *immensum*, vt cum GREGORIVS appellat; *inconsumptibilem* (sicuti à CLEMENTE VI. in Cōstitutione illâ pulcherrimâ vocatur) solus ROMANVS PONTIFEX, tamquam DEI IN TERRIS VICARIVS, AC LEGITTIMVS PETRI SVCCESSOR, dispensandum, fidelibusque per Ecclesiæ Sacramentá dispertiendum; solus Ligandi atque Soluendi Potestatem primariam, clauesque regni cęlestis accepit. Quam Potestatem etsi nullo non tempore Pōtificalis Dignitas in cœtu Fidelium exerceat, Anno tamen illo plenæ Remissionis, ac solidę Libertatis, Anno, inquam SACRO IVBILEO conscientiarum vincula liberalissimè soluuntur, omnisque Fons gratiarum ac cælestium charismatum largissimè aperitur. Solis tamen credentibus aperitur; dicente oraculo illo Byzantino: PETRVS *à* FILIO, *super omnes qui* FILII *sunt, potestatem accepit, non vt Moses in gente vnâ, sed in vniuerso terrarum orbe*, *istis* FILII *verbis:* PASCE OVES MEAS. Cui Magni Augustini testimonium adiungam ex Orbe nostro Occi-

Malach. 2.

Extrau. Vnigen. de Pœn. & Rem.

Chrys. in Act. Apost.

Serm. de SS. Apost.

Occidentali: *Quis plebeium Piſcatorem* [de PETRO loquitur] *facilè crederet Principem Regibus obſiſtere, Reges ſanctificare, Regnis omnibus imperare, Mundum frænare legibus, Dæmones calcare ſub pedibus, iubere virtutibus, cælum hominibus aperire cùm vellet, claudere cum placeret: immortale regnum conuerſis donare, negare peruerſis: merita Mundi cognoſcere, culpas & crimina hominibus relaxare! O inæſtimabilis, ô immenſa poteſtas! hominem in terrâ poſitum tenere cælum! ecce ad nutum* PETRI *Diuini Verbi clauſtra pateſcunt. accepit enim claues regni cælorum a* CHRISTO *vt, ſolutis vinculis delictorum, aperiret credentibus cælum.* Age igitur quiſquis pius, quiſquis Orthodoxus, qui *cathedræ Petri communione ſociaris*, inæſtimabili hoc bono fruere, Deo gratus eſto. Tu verò quem, vetere & inextricabili nexu, vel criminum compedes obſtrictum tenent, vel impietatis aut Hæreſeôn laquei præfocant, & ſtrangulant; excute iniquitatis iugum, & ad ἀσυλίαν Romanam confugiens, Diuinâ ſi fortè miſeratione liberatus, iubilum illud Dauidicum incine: *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt, de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram.* Adiuua, ô Magne Deus, cæli & terræ formator, cordium reformator; ac Votum hoc miſeris iſtis proſpera & fortuna.

Hieronym. ad Dam.

Immunitatem.

Pſalm. 115.

C A-

CAPVT XI.

Antiquitas INDVLGENTIARVM ac REMISSIONVM ampliùs adſerta. Diſcrimen inter has non rectè poſitum. Martyrum Libelli Lapſis dati. Quid fuerit Pacem exorare ab Eccleſiâ. *INDVLGENTIAE olim variè appellatæ. STATIONES GREGORIANAE, ſed GREGORIO fortè antiquiores.*

INDVLGENTIARVM vſum, quem Sectarij ferè omnes noſtri æui, vt nouitium & nuper natum commentum, explodunt, iam ab ipſis Eccleſiæ incunabulis conſtanter in eâ viguiſſe ex probatis S. Scripturæ teſtimoniis, & Sacris Maiorum Traditionibus, conſtat. Nam (vt ea prætermittam, quæ ex Veteris etiam Teſtamenti Libris, & Hiſtoriâ Euangelicâ, iſthuc ſpectantia afferuntur) de Corinthio inceſtuoſo apertum D. Paulli teſtimonium eſt, cui Indulgentiam ipſius delicti, citra plenam tamen ſatisfactionem, meritis ſuis & Eccleſiæ ei applicatis, miſericorditer conceſſiſſe declarat. Verba Apoſtoli ſunt hæc: *Cui autem aliquid donaſtis, & ego: nam ego, quod donaui, ſi quid donaui, propter vos, in perſonâ Chriſti, vt non circumueniamur à ſatanâ.* Atque hanc eſſe Doctoris 2. Cor. 2.

gen-

gentium in isto loco sententiam Primasius, Theodoretus, D. Thomas Aquinas, & Orthodoxi quamplurimi affirmant. quorum vestigiis

1. de Ind. c. 3. insistens doctissimus Bellarminus, nihil ait eorum quæ ad Indulgentiam consequendam à Theologis desiderantur, in pœnitente Corinthio, defuisse: quæ qualia sint commodè apud ipsum videbuntur. Neque isti tantum aliquid indultum ab Apostolo, sed & plurimis aliis similem Remissionem factam subindicant illa in

1. Col. Epistolâ ad Colossenses: *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Quem locum, etsi paullò obscuriorem, sic illustrant Theologi, vt nonnullis qui apud Colossenses, siue alibi, in corpore Christi Mystico, quod est Ecclesia, positi nondum plenè pro peccatis suis Deum per Pœnitentiæ opera placâssent, aliquid de pœnarum suarum meritis Apostolus adiecisse se dicat, modo, quem vocant, *supererogationis*; ea quæ desunt passionum Christi, id est, corporis Christi, siue quorumdam eius corporis membrorum, supplens ipse Passionum suarum vinculis, ac Martyrio pro Christi nomine & honore tolerato. Neque aliam huius loci interpretationem edidit vir doctissimus ac religiosissimus Antuerpiensium Antistes Ioannes Malderus, in libello *Orthodoxæ Institutionis*, quem Typis Plantinianis, linguâ Belgicâ, nuperrimè euulgauit: cumque vel vnicum Paullinum locum comprobando Indulgentiarum Thesauro in Ecclesiâ suffi-

Apol. de Indulg. cere, olim etiam putauit V.C. Boëtius Epo Antecessor

tecessor Academiæ Regiæ Duacenæ. Quâ in re magis audiendum eum puto quàm in discrimine illo quod inter *Indulgentiam* ac *Remissionem* posuit, ingeniosè magis fortalsè ac subtiliter, quàm verè: cùm sacri nostri DD. ἀδιαφόρως vtraque voce vtantur, & nihil inter hæc interesse à doctissimo Nauarro etiam demonstratum sit: solà differentiâ, quâ Genus à Specie differre solet, exceptâ. Post Apostolorum tempora Tertullianus, qui proximè ea attigit, Martyres suo æuo Lapsis Indulgentiam elargiri consueuisse, supplentes instar Paulli, *quod deerat Passionum corporis Christi*, in passione suâ, hisce verbis affirmat: *Pax vestra* [Martyres] *bellum est illi* [Diabolo scilicet] *Quam pacem quidam in Ecclesiâ non habentes à Martyribus in carcere exorare consueuerunt.* quo in loco *Pacem exorare* nihil aliud est, teste Pamelio, ac Rhenano, quàm *postulare recipi in ius communionis,* vnde metu persecutionum infirmi & instabiles quidam exciderant; simulque veniam sui delicti, per Martyrum preces ac merita, impetratam vouere. Solebant autem Episcopi, Martyrum rogatu impulsi, quem Libello deprecatorio exponebant, cum istiusmodi hominibus mitiùs & indulgentiùs agere, totamque iniunctam Pœnitentiam, aut magnam eius partem, ab humeris eorum auferre: quod è D. Cypriani Martyris & Episcopi sanctissimi Epistolis passim apparet. Quâ in re cùm Martyres facilè se exorari paterentur, atque hinc disciplinæ Ecclesiasticæ seueritas collabi videretur, his verbis suauiter ab eodem Cypriano admoniti sunt, ac cautiores effecti: *Ideò peto vt eos, quos*

indifferenter.

Comm. de Iub Not. 8.

Lib. ad Mart. c. 1.

Lib. 3. ep. 15. & 17. lib. 5. ep. 4. & alibi.

ipſi videtis, & noſtis, quorum Pœnitentiam Satisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei ac diſciplinæ congruentes litteras dirigatis. Duo ſcilicet caueri à Martyribus præcipiens, ne ignotos ſibi commendarent, aut non ſatis perſpectos; tum ne pœnarum ſuarum merita quibuſuis tribuendo eos, quò minus pro ſeipſis aliquatenùs ſatisfacerent, ſecuros nimium redderent, ac in Pœnitentiæ opere negligentes. Petebant autem præcipuè Martyres pro Lapſis (ſic appellabant eos qui minus in Fidei Profeſſione Perſecutionum tempore conſtantes fuerant) quòd eorum erat, teſte D. Cypriano, *grauiſſimum & extremum delictum*; atque ideò non niſi maximis meritis, ac iuſtitiæ operibus, qualia apud Martyres erant, delendum ac condonandum. *Pacem* ergo iſtam, per Libellos Martyrum impetratam, ad vſum *Indulgentiarum* iam tum in Eccleſiâ receptum pertinuiſſe, is quem nominaui, Pamelius, cum Bellarmino, Maldero, atque aliis conſtanter tradunt. Hoc etiam ampliùs à Bellarmino adiungitur: *Epiſcopos dare ſolitos Indulgentiam ad preces Martyrum non ſolùm vt Martyres honorarent, & ad conſummandum Martyrium accẽderent; ſed etiam quia viderent merita Martyrum poſſe communicari cum Pœnitentibus, & acceptari Paſſiones eorum pro Satisfactione, quæ Lapſis pœnitentibus deerat: atque ita veterem Eccleſiam ad Theſaurum etiam reſpexiſſe cùm Indulgentias daret.* Quam tamen doctri-
c. 22. nam Tertullianus, in Hæreſim Montani lapſus, ita repudiauit, vt in libro *de Pudicitiâ* planè negârit quod anteà in Paræneſi ad Martyres piè ac

ac iustè affirmauerat, insolentia quædam animalia imitatus, qui lac ab vberibus propriis expressum impactâ calce proturbant, ac in cœnum effundunt. Iacobus Seuertius, qui nuperrimè contra Atheos & Hæreticos scripsit, putat ab eodem Tertulliano sub nomine *Veniæ* & *Secundæ Pœnitentiæ* Indulgentias nostras intelligi, quæ Apostolico Seculo *Misericordiæ* dicerentur. Dici autem Secundam Pœnitentiam, quod non circa culpam peccati, eiusque Sacramentalem absolutionem; sed circa eius pœnam, post exomologesin, relictam, condonandam ac remittendam, versetur. *Veniæ* certè nomen in hac re etiam posteri vsurpârunt, & *Indulgere* idem esse quandoque quod *veniam dare*, Nonius item Marcellus obseruauit. Tertullianicum æuum subsecuta sunt antiquissima Concilia, Nicaenvm I. Oecumenicum, Ancyranvm, Neocaesareense, Carthaginiense, Laodicenvm & Agathense Prouincialia, in quibus Episcopis facultas conceditur Pœnitentiam iniunctam per Indulgentias relaxandi. Quod in Nicæni can. xi. siue, vt aliâ editione, xii. dicitur, *aliquid humaniùs de seriò Pœnitentibus cogitare.* Ad inferioris æui Concilia Claromontanvm, Lateranensia duo, Lvgdvnense, Salegvnstadiense siue Mogvntinvm, Viennense, Constantiense, Basileense & Tridentinvm non descendo, quòd *ἀντιδίκων* nostrorum mos sit ad expressum Dei Verbum, si quando vrgentur, aut antiquissimi cuiusque æui monimenta velle confugere. sic tamen vt dum ab his conuincuntur, vndecumque rapientes,

c. 20 de Hæres. Sect. 10. §. 2.

aduersariorum.

tes, ea iterum damnent: quod in ſuum ſenſum, quo iure, quaque iniuriâ, detorqueant: at,

Quo teneas vultus mutantem Protea nodo?

quâ vel arte vel aſtu ſtringas illum, qui


—— πρώτιςα λέων γένετ' ἠϋγένειος,
Αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, καὶ πάρδαλις, ἠδὲ μέγας σῦς.
Γίνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ, καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον;

principio leo fit ceruice iubatâ, inde draco, & panthera ferox, & mox aper ingens. Hinc fluit in laticem, hinc formam capit arboris altæ; Er. Putean.

Antiquiſsimę autem eius conſuetudinis, quâ vel à Concilio, vel à Romano Pontifice, Epiſcopis facultas indulgendi publicè Pœnitentibus conceditur, præclarum eſt Monimentum in Epiſtola NICOLAI I. ſanctiſsimi & religioſiſsimi Pontificis, quam fide Rhenani, vt eam in vetuſtis membranis inuenit, deſcribimus:

In addition. ad Tertull. exſtat etiam apud Gratiã.

NICOLAVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI REVERENDISS. ET SANCTISS. RATHOLDO EPISCOPO S. ARGENTORATENSIS ECCLESIÆ.



Vm vniuerſis Mundi partibus credentium agmina PRINCIPIS APOSTOLORVM *Liminibus properant, quidam Vir nomine* N. *venit* V.B. *Epiſtolam gerens, quam noſtro contulit Praſulatui. cuius paginam perlegentes, Matricidam illum eſſe cognouimus. quo facto multis fletibus contriſtati ſumus, lacrymiſq; profuſis valdè doluimus. Idcircò præcipimus, & Patrum Almorum cenſuris ſtatuimus, vt ſub Pœnitentia iugo permaneat, ita vt per vnum annum Eccleſiam*

non

non ingrediatur; sed ante fores Basilicæ orans ac deprecans Deum perseueret, qualiter tanto expiatur piaculo. Completo verò anni curriculo introeundi in Ecclesiam licentiam habeat, tamen inter audientes stet, & nondum cõmunicet. Completo autem trium annorum curriculo sacræ communionis illi gratia concedatur. Oblationes verò non offerat, nisi postquam aliorum septem annorum curricula expleantur. In his autem omnibus annis atque temporibus carnem non manducet, nec vinum bibere præsumat, exceptis festis diebus atq; Dominicis, & à Pascha vsque ad Pentecosten. Et quocumque ire voluerit, nullo vehiculo deducatur, sed pedibus proficiscatur: arma non sumat, nisi contra Paganos. Ieiunet autem tres dies per Hebdomadem vsque ad vesperam. A propriâ quidem ac legitimâ suâ coniuge non separetur, nè fornicationis voragine corruat: quod nolumus, nec optamus. al. nè fiat, optamus. *Si autem ante trium annorum cursum finis vitæ illius adpropinquauerit, corporis & sanguinis* D. N. Iesv Christi *particeps fiat: (in autem; vt suprà statuimus, cuncta efficiantur. Tamen si illius conuersationem, & lacrymarum fontem, in omnibus videritis floridis actionibus, &* al. conuersionem. *optimis operibus pullulare,* Hvmanivs Circa Evm Sollicitvdo Vestra Pervigil Appareat, *mitisq; omnibus demonstretur. Optamus Vos in* Christo *bene valere.*

In quâ equidem Epistolâ, & Solemnis ad Vrbem Peregrinatio, & Casuum (quos vocant) grauiorum Summo Pontifici reseruatio, & veteris in enormi delicto Pœnitentiæ rigor, & relaxandi eam, si opus Episcopo visum, per Indul-

gentiam Ritus tamquam in ſpeculo ſummatim ſpectanda exhibentur. Notanda etiam illhic formula: *Humaniùs erga Pœnitentem apparere*; non abſimilis illi quam è Concilio Nicæno citaui: *Humaniùs aliquid de Pœnitente cogitare*. Vt Relaxatio vel Remiſsio huiuſmodi etiam *Humanitatis* nomen habuiſſe videri poſsit, quemadmodum olim *Veniæ*, *Miſericordiæ*, *Pacis*, quo ſenſu *Humanitas Duritiei* opponitur, ſiue Rigori illi, qui à Pœnitente vſque ad extremum quadrantem ſatisfieri pro admiſsis petit: qualis olim Rigor in Canonibus Pœnitentialibus, primigenio Eccleſiæ tempore ſeruatis, præſcribitur. Succeſſere primigeniis illis temporibus STATIONES, ab inſtitutore Pontifice, GREGORIANÆ dictæ, quas ille vocabulo iam olim apud Chriſtianos recepto ſic appellari decreuit, dum ſacro Ieiuniorum tempore ſtantem populum in Baſilicis Martyrum detinet, Deoque ad eorum Memorias ſupplicantem, largis Priuilegiis ac Remiſsionibus exornat. Niſi fortè, iuxta Theologorum nobilium ſententiam, antiquior hic Ritus ſit, à LEONE ſcilicet I. ſiue MAGNO, profectus, quem primùm huiuſmodi ſupplicationes ordinâſſe ſcribunt, quas GREGORIVS deinde ſolemniùs & apertiùs indixerit, nomine STATIONVM indito. Idque eò veroſimiliùs mihi videtur, quòd nonnulla Apoſtolicis temporibus inſtituta ad Pontifices auctores relata ſint, ob eam maximè cauſſam, quòd ipſi decretis ſuis ea firmauiſſent; ne à Sectariis, qui Eccleſiaſticas Traditiones contaminare ſolebant, vitiarentur, aut in contrarium decernerentur. CLEMENS etiã VI. à non-

in 4. Sent. Diſt. 10. Nauar. Cõm. de Iub.

Baron. ad ann. 132.

à nonnullis Anni Ivbilei institutor est habitus, ob nomen ei Anno datum, etsi res ipsa, vti probauimus, longè antiquior est, atque vetustior. Pontifices deinde alij, iustis legitimisque de caussis, quà in ipsâ Vrbe, quà Orbe vniuerso, studia Christianorum, ac pia eorum officia, fauore benigno prosecuti, sacros Indvlgentiarvm Thesauros, in hanc vsque diem, liberaliter effuderunt: quorum seriem per ætates accuratè distinctam apud Baronium, Bellarminum, Seuertium atque alios, curiosus Lector videbit. Meritò igitur Concilium Oecumenicum Tridentinum, singulari Dei Opt. Max. beneficio ætati nostræ concessum, de Indulgentiis sic loquitur: *Cùm potestas conferendi Indulgentias à* Christo *Ecclesiæ concessa sit, atque huiusmodi potestate diuinitus sibi traditâ* Antiqvissimis Etiam Temporibvs *illâ vsa fuerit, Sacrosancta Synodus* Indvlgentiarvm Vsvm Christiano Popvlo Maxime Salvtarem, & Sacror. Concilior. Avctoritate Probatvm *in Ecclesiâ esse retinendum docet & præcipit: eosq; Anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesiâ potestatem esse negant.* Viderint illi qui negant, qui (vt D. Cypriani verbis vtar) *post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coëpiscoporum consensum*, Iudices se non iam Concilij, sed Dei, faciunt. Deum enim ipsum contemnit, qui eum *in Concilio iustorum, & congregatione* Sacerdotũ, loquentem contemnit. In Ierusalem namque, in Ecclesiâ suâ vnicâ & electâ, supremus ille Rex, quouis Rege sapientior, *constituit Leuitas, & Sacerdotes, & Principes familiarum*

Sess. 25. de Ind.

Epist. 3.

Psalm. 110.

2. Par. 19.

liarum ex Iſrael, vt iudicium & cauſſam Domini iudicent vniuerſis habitatoribus eius. Tu quiſquis es, ô Sectarie, time Dei iudicia, qui iudicem eius Eccleſiam audire contempſiſti?

CAPVT XII.

INDVLGENTIAE omni æuo piè peregrinantibus datæ. Peregrinationum *apud Orthodoxos Vetuſtas: quæ* Hieroſolymas, *& in* Vrbem *ſemper celeberrimæ. Hæc olim Annua fuit; vti* Præſentatio ad Limina *per Epiſcopos facta: quid in eâ deinde mutatum.*



PLurimas eſſe cauſſas INDVLGENTIARVM concedendarum nemo ignorat. Inter has non minima à Scriptoribus adferri ſolet, *Peregrinatio* ad Loca Sancta ac Relligioſa: quod ab omni æuo receptum ſit, ſiue ad Sepulcrum Redemptoris noſtri Hieroſolymas, ſiue ad Principum Apoſtolorum Limina in Vrbe, ſiue ad diuerſorum Martyrum aut ſanctorum hominum Memorias aliis in locis proficiſci. Atque eas ait Indulgentias Innocentius légittimè, non tamen planè gratuitò concedi, cùm labor itineris iis adiunctus ſit, plurimaque itinerum incommoda & pericula neceſſariò exantlanda. Quem laborem ac religionis feruorem in populo Chriſtiano magis excitantes Romani Pontifices, quà tranſma-

In Apparat., ad c. de Pœn. & Rem.

tranſmarinæ profectioni ad Sacra Syriæ loca, quà in cæteras Orbis partes, ad Reliquias Diuorum venerandas, peregrè proficiſcentibus, larga Indulgentiarum priuilegia concelſerunt: immò grauiſſimum fulmen in eos deſtrinxerunt, qui Apoſtolorum Limina, ſeu aliorum Sanctorum Oratoria, viſentes peregrinos capere, ſeu, rebus quas ferrent ſpoliare, tentauiſſent. c. ſi quis Romix. & c. ſi quis pereg. 24. q. 3. Hîc verò Ariſtarchos noſtros, τὺς, inquam, ἑτεροδόξους inſurgentes videre videor, & totum iſtud ad Loca Sacra peregrinandi genus petulanti ſplene ridentes: aut potiùs conuerſo pollice, quaſi in Ludo aliquo Gladiatorio, damnantes. Quapropter nonnulla, quæ de iſto Orthodoxæ Eccleſiæ Ritu in aduerſaria mea conieci aduerſariis noſtris proponam, vt his conſpectis ſi forte reſipiſcant: & noſtros homines ſui in peregrinando ſuſcepti laboris minùs pigeat, aut pœniteat. Et inprimis (Peregrinationibus Hebraicæ gentis prætermiſſis, quas iam alij attigerunt) Salvatoris noſtri exemplum, puriſſimæque Virginis, eius Parentis, & Sancti Ioseph ac diſcipulorum, Hieroſolymas ad Encænia & diem feſtum profectorum, Orthodoxis omnibus adeò validè patrocinatur, vt vel hoc ſolo omnia Hæreticorum ſibila extingui, omnes in aduerſum conatus infringi videantur. Luc. 2. Ioan. 10. Præluxerunt etiam piæ huic conſuetudini Tres illi Magi Orientales, diuino ſidere per longinquum iter ducti *vt venirent cum muneribus adorare eum,* Matth. 2. in Bethleem, qui *natus eſſet Rex Iudæorum.* Hoc item docuiſſe videntur illi, quorum fides ac religio, in Euangelio & Actis, laudata, qui Marc. 6. Actor. 5. ad

ad CHRISTVM, in vicos ac ciuitates, quas introibat, ad Apostolos Hierosolymas, cum ægrotis suis atque infirmis, profecti, mercedem sanitatis, velut Pietatis suæ ἀντίδωρον, retulerunt. Quin Pios omnes, classico velut cantato, ad hòc Religionis studium adhortatus est insignis CHRISTI

c.10. Buccinator Isaias, cùm multis antè seculis *Sepulcrum eius futurum gloriosum*, accurrentium scilicet multitudine, præcinuit. Rex item Prophetes, cùm nomine peregrinantium Christiano-

Psalm. 131. rum insonuit: *Adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius*. Ipse etiam Saluator non aliâ ex caussâ, abiturus ad Patrem, impressa in monte Oliuarum pedum suorum reliquit vestigia, quàm vt Fideles ad ea amplectenda, veneranda, adoranda, impensiùs excitarentur, & vehementiùs inflammarentur. Quâ in re Religiosissimi Princi-

Eufeb. de Vit. Const. lib. 3. Ruffin. lib. 1. c. 7. pis CONSTANTINI, & AVGVSTÆ Matris HELENÆ, pietas emicuit, dum expurgato à Gentilitiâ superstitione Sepulturæ & Passionis CHRISTI loco, ædificatisque illhic Oratoriis, Christianos populos ad loca illa frequentanda magis ac magis excitârunt. Quanta autem ea frequentia fuerit, quantusque ad sanctissima loca confluxus, B. Hieronymus, eorum inquilinus, testatur, Epistolâ ad Marcellam: *Longum esset*, inquit, *per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrinâ Ecclesiasticâ virorum venerint Hierosolymam: putantes minus habere scientiæ, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis locis* CHRISTVM *adorâssent, in quibus primùm Euangelium de patibulo Crucis coruscauerat*. Neque post ea tempora ardor Christianorum

ſtianorum imminutus eſt, inuitante maximè Sacrorum Priuilegiórum, à Summis Pontificibus illhic conceſſorum, magnitudine; donec, meritis noſtris ita exigentibus, Loca illa in Turcarum, immaniſſimorum Christiani nominis hoſtium ditionem venere, ac difficillimam eam peregrinationem reddidere. Mirandum tamen, & Ritum hunc calumniantibus meritò obiiciendum, quod de SELYMO ac SOLYMANNO, Mahumetanis Principibus memoriæ proditur, eos ſcilicet Sepulcrum Domini honorificè habuiſſe, &, ad eius ornatum ac cuſtodiam, multa aureorum millia benignè contuliſſe. De iſto hoc ampliùs addit Theuetus, cùm Ægyptiacâ expeditione ſuſceptâ Iudæam pertranſiret, non munificum modò ſacratiſſimo Loco fuiſſe, ſed in eo orâſſe, ac vota concepiſſe. Quid potuit ampliùs Theodoſius aliquis vel Conſtantinus? Audiant hæc, & erubeſcant Pſeudo-Chriſtiani quidam, ſacris Peregrinationibus & Reliquiarum venerationi infenſi: ac, de Menandri præcepto, ἀπ' ἐχθρῶν μανθάνειν veræ Sapientiæ fauere, eiuſque Ritus & inſtituta comprobare. Poſt TERRAM illam verè SANCTAM à Chriſtianis appellatam, & omni æuo, dum licuit, religioſiſſimè viſitatam; non eſt locus, quem peregrinando magis adierint, aut ſtudioſiùs & ardentiùs exquiſierint, quàm ſacra APOSTOLORVM PRINCIPVM LIMINA in Vrbe ROMA. illa Reges, illa Principes, illa Patriarchæ, illa Epiſcopi, omnis denique piorum ſexus, ætas ac conditio, omni item æuo, religioſiſſimè frequentârunt. Cuius religionis vti ſuo æuo antiquioris D. meminit Auguſtinus in Pſalm.

Iouius lib. 17. Hiſtor.

lib. 6. Coſm. c. 7.

ab hoſtibus diſcant.

Pſalm. LXXXVI. *Olim*, inquit, *Principes ſeculi ad Vrbem Romam venerunt non ad Templum Imperatoris, ſed ad Memoriam Piſcatoris.* Neque tamen, cùm ipſe viueret, eam omiſſam teſtatur his verbis: *Nunc ad Memoriam Piſcatoris flectuntur genua Imperatoris: ibi radiant gemmæ diadematis, vbi fulgent beneficia Piſcatoris.* Epiſtolâ item XLII. *Videtis & Imperij eminentiſſimum culmen ad ſepulcrum Piſcatoris* PETRI, *ſubmiſſo diademate, ſupplicare.* Sanè Prudentius, Chriſtianus Poëta, qui ſub Theodoſij Magni liberis vixit, aduerſus Symmachum, ita gloriatur:

—— currit, paucis Tarpeiâ in rupe relictis,
Ad ſincera virûm penetralia NAZAREORVM,
Atque ad APOSTOLICOS *Euandria Curia fontes.*

Vbi per *Euandriam Curiam*, Viros Senatorios ac Patricios in vrbe Româ intelligit, iàm tum CHRISTO addictos, & Apoſtolicis tumulis ſupplices. Notiſſima ſunt enim quæ de Arcadum προσεληνων antiquiſſimâ origine, & Euandri eorum Regis in Italiam appulſu, Veteres commenti ſunt: vnde Nobilitatis ſuæ initia plerique Romanorum Principum repetebant. Solemnem quoque illam, omni æuo, Principum virorum apud APOSTOLORVM PRINCIPES orandi conſuetudinem D. Ioannes Chryſoſtomus ſæpè & facundè deſcripſit; cuius verba, defectu Græci codicis, ex Interprete adſcribere cogor. Ait igitur. *Nam & ille ipſe purpurâ indutus peregrè proficiſcitur Sepulcra illa complexurus, & faſtu depoſito contingit Sanctos, rogans vt ſibi apud Deum patrocinentur: & tabernaculorum opificem* [PAVLLVM] *& piſcatorem* [PETRVM] *Patronos etiam mortuos*

ante Lunam natorum.

Hom. 21. in ep. 2. ad Cor.

mortuos deprecatur ille diademate coronatus. Et iterùm: *Nam qui ducebantur, qui contempti erant & vincti, vbi defuncti sunt, Regibus ipsis erant magis venerandi. Etiam* ROMAE, *quæ Vrbium est Regalissima, relictis omnibus ad sepulcra Piscatoris & Pellionis currunt & Reges, & Præsides, & Milites.* Hom. ad. Gentil.
Et his similia χρυσοῦν illud στόμα persæpè alibi. aureum os.
Quinimmò quodam in loco sanctè adfirmat se, nisi impeditus multis curis,& Ecclesiasticis functionibus fuisset,& si per valetudinem imbecillem licuisset, nihil in mundo eum cohibiturum à suscipiendâ profectione Romanâ, vt catenas illas & carceres quibus Princeps Apostolorum PETRVS, & delicium suum PAVLLVS, constricti ac detenti fuerant, inspiciendi ac contrectandi, quod totiès ardentissimè optauerat,facultas daretur.Eam Principum virorum pietatem imitati cæteri, & exemplo incitati, frequentes ad Vrbem Sacram venerunt, instante maximè DD. APOSTOLORVM Natali, quo tempore cotannis innumera hominum multitudo Romam confluxit: atque ideò solemne illud *dies festus Orbis terrarum* à D.Chrysostomo,ob insignia conuenientium studia, vocatum. Quem solemnem morem, quoad vixit, religiosè tenuit D. Paullinus Nolanus,nec viæ retardatus labore,nec grauioris per id tempus Romani cæli periculum reformidans. Testatur ipse de sese in Epistolâ ad Episcopum Delphinum: *Deinde nosipsos Romæ, cùm solemni consuetudine ad Beatorum Apostolorum Natalem venissemus, tam blandè quàm honorificè excepit.* de ANASTASIO Romano Pontifice loquitur, cuius beneuolentiam expertus fuerat. Ibidem. Epist. 16.

Epist. 13. Et in Epistolâ ad Sulpicium Seuerum: *Tempus ante meridiem* [Romæ scilicet] *in Votis nostris, quorum curâ veneramus, per* APOSTOLORVM *& Martyrum sacras Memorias consumentes.* Interdum tamen festum illum diem præuenit circà *Idus* Scriptor Vitæ S. Paulini. *Maias* Romam profectus, vt ex Epistolâ illâ, quam ad D. Augustinum inde reuersus scripsit, videri potest. Nisi fortè tunc Romam iuerit, vt Distinct. 93. c. iuxta. Decreto Pontificio satisfaceret, quo *Episcopi omnes Apostolicæ Sedis ordinationi subiacentes, qui propinqui essent, annuè circa id tempus Principum Apostolorum Liminibus præsentari iubebantur: qui verò de longinquo, iuxta chirographum suum id implere.* Lib. 1. ep. 70. Atque ideò *vel per se, vel per certum nuncium* (vt Gregorius id statutum interpretatur) quotannis sese ad Sacra Limina præsentes offerebant. quod etiam iureiurando, cùm ad Cathedram admitterentur, sese impleturos sanctè promittebant. Baron. ad annum 1081. Quare non iniusta illa increpatio à GREGORIO VII. religiosissimo ac generosissimo Pontifice, Archiepiscopo Rothomagensi facta, quòd distulisset ipse inuisere sacra Limina, *cùm tamen ab ipsis Mundi finibus studerent annuè, tàm mulieres quàm viri, ad ea venire.* Idem Pontifex Lanfrancum, Archiepiscopum Cantuariensem, similis cessationis arguit Romam veniendi, *cùm* (inquit) *multi longè remoti, licet corpore inualidi & infirmi, & à lectulis vix valentes surgere, ad eadem Limina vehiculis properarent.* Tepescente verò paullatim primigenio Christianorum feruore, & remittente se Præsulum pietate, longiora Visitationi illi spatia laxata. nam & ipse Gregorius Acta Vitæ ipsius. Magnus, seuerus aliàs Pontifex, Siciliæ Episcopis

pis qui ad Triennium conuenire solebant, quinquennio semel in Vrbem venire indulsit. Sixtus autem V. nuperâ Constitutione, quâ mōrem illum pænè iam oblitteratum solemniter reuocauit, eos ad antiquum Triennium cum cæteris Italiæ reduxit: reliquis in Orbe Christiano positis, quarti, quincti, & decimiquincti anni reditu, pro locorum vicinitate aut longinquitate, præscripto. Nostris ergo temporibus *Præsentatio* illa, antiquis dicta, *Visitatio Liminum Apostolicorum* dicitur: nouitiâ quidem phrasi, sed quæ ab antiquissimo Ritu profluxit Liminum in Basilicis Martyrum, per Christianos supplices, osculo adorandorum. de quo Ritu copiose vir doctissimus Heribertus Rosvveydus S. I. ad D. Pavlinvm Nolanvm, & Baronius Cardinalis ad diem xiix. Nouemb. in Martyrologio Romano: quos operæpretium erit videre. Vt in viam reuertamur (quamquam illa scribendo vix deuiauimus) Nicolavs I. Pont. in egregiâ illâ ad Michaelem Palaeologvm Imp. Constantinopolitanum Epistolâ, tantam se Pontifice peregrinorum multitudinem caussâ Apostolicæ intercessionis, in Vrbem venisse scribit, *vt Vrbs* Roma (ea verba sunt) *cunctas in se dignosceretur continere nationes*. Et in aliâ ad Episcopum Argentoratensem, pleniùs antè descriptâ, *Ex vniuersis Mundi partibus*, suo tempore, *credentium agmina* ad eamdem intercessionem, pariter *properâsse*, fatetur. Quæ frequentia an ad Festum Apostolorum diem, de quo priùs agebam; an ad Solemne aliud in Vrbem concurrerit, haud perinde adfirmauerim. Certè nullo æuo aut tempore

in Notis ad Carm. XXI.

pore

pore Christianorum studia in hac re defuisse, innumera Scriptorum testimonia declarant: sed paucula nobis, Veritati ac Pietati stabiliendæ, adduxisse suffecerit. Piis enim in hoc argumento vel tantillum sat est; Impiis, & ab omni religione alienis nec *plena* testimoniorum *foraca* satisfaciant. Meritò ergo ab Aurelio Cassiodoro de Sepulcris Apostolicis dictum est: *Confessiones illas, quas videre Vniuersitas appetit, in suis finibus Roma felicior habere promeruit*. Et à magno Chrysostomo: *Seruorum* CHRISTI [sic Apostolos vocat] *splendida esse in Vrbe Regiâ Monimēta: non ædificiorum modò altitudine, & cultu, sed conuenientium vndique studio ac feruore*. Atque hic fuit Maiorum nostrorum feruor, ea sacræ Vrbis frequentandæ desideria, quæ noui quidam *Eunomiani*, aut *Vigilantiani*, quo spiritu damnare audeant, ipsi viderint; mihi cum cœtu Fidelium vniuerso, cum omni Vetustate, cum Ecclesiâ Romanâ Apostolicâ credere & sentire libet quod à μελιγλώττῳ illo BERNARDO assertum est in Panegyri Principum Apostolorum: *Si in terrâ adhuc positi* [iidem APOSTOLI] *omnia poterant non quidem in se, sed in* CHRISTO; *quid non poterunt hodie viuentes in æternâ felicitate cum ipso? Mortales adhuc, & morituri, imperium Vitæ & Mortis videbantur habere, solo nimirum verbo mortificantes viuos, & mortuos suscitantes; quantò magis nunc cùm honorati sunt nimis, nimis confortatus est Principatus eorum?* In quo melle nunc desino, & Tibi, quisquis es, ita sentire, ita credere ἐν βαθείας ψυχῆς voueo, & exopto.

Augustin. de Eccl. dogm. c. 73.

mellifluo.

ex intimo animo.

C A-

Capvt XIII.

Binis istis Peregrinationibus Tertia diuinitùs adiuncta ad Ædem Lauretanam : *ea hîc meritò recensita. Admirandum illum locum & Gentibus cunctis, non vnâ ex caussâ, venerandum esse.*

Sacrum illud Romanæ Purpuræ columen, & Ecclesiæ Mediolanensis sanctissimus Antistes Carolvs, in eâ Epistolâ quâ Diœcesanos suos omni ope ac studio, ad visendam Anno Seculari Vrbem Sacram, cohortatus est, inter cætera quibus Peregrinationem illam suscepturos paternâ sollicitudine informat ac dirigit, hoc quoque pium ac religiosum consilium iis dedit; vt, si qua in itinere illo Loca alia sanctitate celebria se offerrent, ad ea declinare orandi caussâ non grauarentur. Sed præstat alterum illum nostri seculi Ambrosivm suismet verbis id commendantem audire: *Quòd si in ipso itinere vicini fueritis alicui Templo quadam religione celebri, quale est Templum* B. Mariae Lavretanae, *aut aliud, etiamsi paululùm à rectâ viâ vobis diuertendum foret, ac longiori etiam eundum; nolite perdere occasionem visitandi huiuscemodi Templa, vt ibi confiteamini, & denuò communicetis, ad consolandum, & corroborandum vos spiritualiter in sanctâ hac peregrinatione.* Quibus equi-

dem in verbis iure mentionem facit celeberrimi illius, ac toto orbe nobilissimi, TEMPLI PARTHENII LAVRETANI: quod eò studiosiùs omnes ad Vrbem, Iubilei caussâ, proficiscentes inuisere debent, quò magis illud cæteris omnibus in Orbe Templis, religione ac sanctimoniâ præstantibus, vel æquandum nouerint, vel præferendum. Quid enim sanctius, aut religiosius, esse potest Cubiculo illo lateritio, marmoreis vndique sepimenis clauso, in quo ipse DEI FILIVS, de SPIRITV SANCTO conceptus in vtero Virgineo, atque educatus, magnam pueri-lis ætatulæ partem exegit? in quo ipsa VIRGO ΘΕΟΤΟΚΟΣ natalem hausit spiritum, & veluti *Aurora consurgens*, tenebricoso Mundo *Iustitiæ Solem* paritura, materno primùm è thalamo prodiit? Meritò te, ô cubiculum beatissimum, meritò vos, ô Lares fortunati, cum elegantissimo Mureto alloquor:

Horat. Tursellin. in Hist. Lauret.

in Carm. ad Virg. Lauret.

Quænam igitur Regum sedes, quæ Templa per orbem
Huic se ausint conferre loco? ter, & ampliùs, omnes
Ante alias felix Picani litoris ora,
Cui Solymos spectare domi, cui munere Diuûm
Fas calcare domi est pedibus vestigia CHRISTI!

Munere certè Numinis incomparabili id Occidenti nostro datum vt ab ipsâ vsque Palæstinâ, ab altero Solis cardine, Angelicis manibus sacra illa deueheretur in Italiam sarcina, sanctius longè ac præsentius Salutis nostræ pignus futurum, quàm olim vel Troiana illa Palladia, vel Iouis Cretæi fabulosum antrum, aut Tarpeia

Romuli casa, vel quicquid superstitiosi pignoris ad tutelam Imperij Antiquitas habuit, vel quasi Numinis cuiusquam ortu nobile ad venerationem custodiuit. Hanc ego sacratissimi Loci maiestatem coràm admiratus olim, simul etiam prodigiosæ illius μετοικήσεως consideratione velut ἐνθουσιάζων effectus, inter alia, quæ Voti reus de VIRGINE LAVRETANA scribebam, hæc cæcini:

migrationis. numine inspiratus.

O DIVA, gratum quæ nemus Hadriæ
Præsens ad vndas, finibus Italis,
Regis, beato vecta cursu
Romuleæ super orbe gentis;
Tunc cùm feroci compede barbarus
Gentes Eoas, & validus Scytha,
Preßit merenteis; te per auras
Siderei rapuere currus.
O quale monstrum! sedibus erutam
Priscis, auito sed profugam solo,
Discors Eous, & receptam
Ausoniæ stupuere siluæ.
Te, quisquis æquor nauita proximum
Velis gubernat, sollicito colit
Per transtra voto: te Lacæna
Omnibus antetulit gemellis,
Quæcunque Ponto nauis in aspero
Deprênsa fleuit: te Dominam maris
Fractæ Latinorum carinæ
Incolumes didicere nuper.
Te Sarmatarum progenies feris
Canit sub antris: te procul agnitam
Belga, & Britannus, in remotis
Oceani coluere ripis;

Abominati ne furiis premi
Sinas Draconis, quem Tibi subditum
Per vasta colla sibilanti
Vidimus infremuisse linguâ.

Quod si cuiquam non displicuerit hic impetus, & si tanti esse putauerit, cætera huius Poëmatis in Lyricorum nostrorum carminum fronte posita inueniet. Inuitabit ergo piè peregrinantem, & ad se trahet, Lavretanae Ædis sanctitas; inuitabit etiam cælestium beneficiorum magnitudo; quæ si vllo terrarum loco, illhic certè à Diuinâ Benignitate liberalissimè dispensantur. Corpore infirmus es? medicinam dabit Virgo: animo anxius? solatium & iucunditatem afferet: conscientiâ pauidus? dulcem suggeret in amaritudine salutari lætitiam: in periculis constitutus? terrâ, aut mari, trepidus, ac pænè de salute desperans? salutem dabit Maria, Libertatem, Vitam, ac quicquid petere cum fiduciâ audes, præbebit Maria. Et quot illa mortalibus iam olim, ac nuper hæc præbuerit, ipsi sacri parietes donariis votiuis onusti, ipsa Templi atria Tabellis εὐχαριστηρίοις circumuestita, aut potiùs ipse Orbis vniuersus, tantorum benefactorum conscius, inclamat & testificatur. Sunt verò pij viri ac facundi, qui, ad Dei ac Deiparae Virginis gloriam, immortalibus scriptis ista prodiderunt; vt necessum non sit iis commemorandis prolixiùs inhærere; quod tamen in alio Carmine Votiuo, penes me, testimonium est, summatim Beneficia Virginea perstringens, veniam fortè suâ breuitate merebitur, ac fauorem:

gratulatoriis.

Astrifera

Astriferæ Regina *domus, genitrixq; Tonantis,*
Innuba concepto Numine facta Parens,
Quam super æthereas Superorum exercitus arces
Erectam æternâ laude salutat Heram;
Mille Tibi Ausonium radiant delubra per orbem,
Mille Tibi accendunt thura Sabæa foci;
Sed Lavretanis *Tua maxima gloria Templis,*
Picaenaqve *micat maximus Aede fauor.*
Id sacris fixæ muris pictæq; Tabellæ,
Donaq; Virgineis multa docent adytis,
Quàm multis, pia Diva, *adsis; facilemq; vocatu*
Sentiat in trepido vir mulierq; malo:
Ille inter medios flammarum constitit igneis,
Nec potuit iussu flamma nocere Tuo:
Deuotasq; Tibi consecratásq;, rosarum
In morem tantum est lambere visa comas:
Iste, procellosis dum naufragus errat in vndis,
Depinxit Voti signa secunda sui:
Seu fuit in præceps furibundo raptus ab amne,
Pertentans dubio cæca profunda solo.
Est quoque qui, fato Phrygium Astyanacta secutus,
Testatur precibus se superesse Tuis:
Est quoque qui, Duce Te, cæcas vitâsse latronum
Insidias potuit, terrificasq;, manus:
Atque aliquis crudi fugiens Busiridis aras
Virgineam haud frustra sæpè vocauit opem.
Viuit hic horrendùm transfixus corpora ferro,
Atque Tibi est Vitæ debitor ipse suæ:
Ille alacri delapsus equo sine vulnere surgit,
Fractaq; non vllo membra dolore leuat.
Sed quid ego obtritosq; rotis, tauriq; ferocis
Cornibus excussos sidera ad alta loquar?
Quid referam muris appensas, Virgo, *catenas,*

Quas posuit sæuo liber ab hoste reus?
Quid fractos laqueos, elisaq́ vincula narrem,
Armaque in innocuos noxia stricta viros?
Quid numerem Geticis erepta Tropæa maniplis,
Fixaq́, ad augustum barbara signa tholum,
Dum MARIAE *auspicio se vincere credidit hostem*
Martia, sed Marti non benè fisa, cohors?
Quid? quàm multa tuo Mater sit munere facta,
Cui gemere in sterili contigit antè thoro?
Quid morbi genus omne, luemq́, febresq́ malignas,
Vincere quas medicæ non potuere manus,
Auxilio victas tanto, pulsasq́, clientûm
Corporibus, vacuas non habuisse preces?
Quid memorem triplicis damnatas pollice fusi,
Ex Erebo, iussas sæpè redire animas,
Nequicquam nigrâ circumfrendente caterua;
Nequicquam infernâ multa mouente Styge?
Omnia Naturæ sanctas superantia leges,
Omnia victuro digna furore cani?

Dignissima certè æternis Ingeniis in ÆTERNA VIRGINE materia, & iam nobiles aliquot Musarum κισσοφόροι laudabiliter hanc operam præstiterunt. (*hederigeri.*) Optem sanè esse, & optaui diu, qui tot Rosas, Lilia, Violas in sertum vnum compingat, & LAVRETANAE VIRGINI consecret: suauiùs longè spiraturum quàm vel odorati Ciliciæ nimbi, aut fragrantes Arabũ messes, Theatris effusæ; vel omnia Assyriæ mercis cinnamã in Phœnicis vnius pyram constipata. Quis igitur ille tam ignauus erit, ac vecors, qui Sacratissimi loci vel maiestate, vel beneficentiâ, non commotus (si facilè potest, immò si vllâ ratione potest) non accurret illicò ad tantum præsidium?

dium? non sibi propitiam VIRGINEM, non fauentem VIRGINIS FILIVM, in hoc terrestri vti cælo, reddere conabitur? Quis etiam non putet hanc sibi diuinitùs velut legem impositam vt IVBILEVM aditurus LAVRETVM declinet, cùm eodem ferè tempore & IVBILEVM solenniter indictum sit à BONIFACIO IIX. & Lauretana cellula in Italiam delata? Euoluite Annales, perquirite testes, & veritatem huius rei compertam habebitis. Parum itaque mihi fecisse videbitur qui, cùm liceat, LAVRETVM non adibit. immò non omnia mihi fecisse videbitur qui, etiam cùm non liceat, LAVRETANAM VIRGINEM de itinere non salutârit.

CAPVT XIV.

Quinam Pontifices, & quando, IVBILEVM celebrârint. BONIFACII VIII. Solemne maximum fuisse: eius de FLORENTINA R. P. vaticinium. D. ANTONINI de Pontifice isto iudicium. CLEMENTIS & VRBANI SEXTOR. circa tempus IVBILEI decreta. Numeri L. & XXXIII. dignitas indicata.



SIcut Græcis ante tempora Olympiadis Iphitææ Temporum ratio obscura fuit, atque inde æuum illud fluxit quod ἱστορικὸν appellârunt, à maiore rerum gestarum (M. Varro apud Censorin.)

 certi-

certitudine; ita in re noſtrâ IVBILEA, ante BONIFACII VIII. PONT. MAX. æuum, non adeò exploratum eſt qui Pontificum Romanorum, aut quando, Solemne iſtud celebrauerint, aut quibus adeò cærimoniis in eo celebrando ſint vſi. Ipſe BONIFACIVS primùm ſolemnem IVBILEI obſeruationem in ius redegit, maximoque Sacrorum apparatu, & incredibili ex omnibus Orbis partibus multitudinis concurſu, illud ipſum peregit Anno Chriſtiano iuxta calculos Dionyſij Exigui, CIↃ. CCC. In quâ celebritate illud admirandum ab illius æui Scriptoribus memoratur, *ducenta hominum peregrinorum millia*, vnaquaque ferè ſacri Anni die, Romæ numerata. Addit ampliùs Platina, tantam eo anno multitudinem confluxiſſe, *vt vix incedere per Vrbem, amplam quidem & vaſtam, liceret*. Neque tantæ paſcendæ multitudini Diuina Benignitas defuit. admirabilem namque ac prodigioſam eo anno Annonæ copiam in Vrbe & Italiâ conſpectam obſeruauit Iacobus Cardinalis, qui & Solemne illud vidit, & oculatâ fide, quæ vidit, poſteritati mandauit. Venit tum inter cæteros illuſtres Viros ad Vrbem CAROLVS VALLESIVS, PHILIPPI Francorum Regis frater, BALDVINI IMP. CONSTANTINOPOLITANI gener, honorificè à Pontifice exceptus, & mox pietatis eius cauſſâ Tuſciæ præfecturâ donatus. XII. quoque Legationes, à diuerſis Principibus ac Rebuspublicis ad BONIFACIVM miſſæ, ipſum Annum cohoneſtârunt: in queis præclarum FLORENTINORVM ſtudium enituit. Fertur ſubinde Pontifex, cùm in celebri Præſulum con-

ſeſſu

BONIFACIVS VIII. Anno 1300.

S. Antonin. in Chron. p. 3. Iaco. Cardin.

in Chronico Fr. Longi Coruolani.

B. Platina Paull. Aemil. Turſellin.

Anth. Palmer. in Chron.

ſeſſu peroraret, Legationum iſtarum Titulos recenſuiſſe, &, cùm ad Florentinos ventum eſſet, in hanc vocem prorupiſſe: *In gloriam* FLORENTINI *nominis affirmo in gubernatione orbis terrarum* FLORENTINOS *aliud elementum fore*. Quod Vaticinium à D. quoque ANTONINO, ſanctiſſimo Florentinorum Antiſtite, obſeruatum, rei poſteà veritas comprobauit. Exinde namque vna Florentina ciuitas tot Illuſtres Ingenij ac Pietatis laude viros, tot militari laude florentes, tot Principes & Heroës Orbi dedit, quot vix alibi Prouinciæ vniuerſæ. Vel illud quàm magnificum eſt (vt cætera eius ornamenta taceam) quatuor, intra vnius ferè ſeculi ſpatium, PONTIFICES MAXIMOS Ciues ſuos habuiſſe: LEONES ſcilicet duos X. & XI. CLEMENTEM VII. &, quem hodie in cathedrâ PETRI ſedentem veneramur, VRBANVM VIII. Viderint alij quomodò vaticinium iſtud BONIFACII interpretandum putent; ego diuinitus inſpiratum id pronunciâſſe credo, quod, SVMMO GENERIS HVMANI BONO, in SACRATISSIMORVM PRINCIPVM TETRADE videmus impletum. Cæterùm Pontificem BONIFACIVM etſi amarè ſcriptores quidam vellicent, idem Antoninus (quod miratus ſum) *hominem prudentem, ac litteratum, magni animi, Zelatorem magnum, & conſeruatorem Iurium Eccleſiæ appellat*. cuius teſtimonium, vt hominis ſanctiſſimi & integerrimi, cùm, vt par eſt, magni apud omnes fieri debeat; miror apud quoſdam minus fidei inueniſſe, quàm Scriptorum aliorum calumnias, in gratiam Principum & Regum, ſacroſanctæ Pontificum maieſtati ni-

in Chron. ibid.

misquam sæpè obtrectantium. BONIFACII si qua fuere (& fuerant certè.) vitia non excuso; tantâ tamen acerbitate detecta doleo: neque vllum ferè, sancto illo viro excepto, exstitisse qui, quas ille virtutes eximias, & vitiis fortè superiores, habuit in aspectum produceret; miror ac indignor: reliquis, instar maledicti Cham, solam Parentis sui fœditatem nudauisse contentis.

CLEMENS VI. Anno 1350.

Centenarium BONIFACII Solemne CLEMENS VI. excepit, qui in Annum ab exacto illo Quinquagesimum, IVBILEI nomine, primus Indulgentiam publicauit: vt ipsius Diploma etiamnum superstes, & Decretis insertum, fidem facit. Caussas contracti IVBILEI, præter Romani Populi preces quas Auenione positus accepit; duas potissimùm habuit, exemplum Legis Veteris quæ Annum Quinquagesimum sacrauit; & Humanæ Vitæ breuitatem, *per quam pauci, multorum respectu, ad annum centesimum valeant peruenire.* Notatu certè digna videntur illa quæ de Numeri Quinquagenarij dignitate in suâ Constitutione promulgauit: *Nos autem attendentes quòd* ANNVS QVINQVAGESIMVS *in Lege Mosaicâ (quam non venit Dominus soluere, sed spiritualiter adimplere)* IVBILEVS *remissionis, & gaudij; sacerq; dierum numerus, quo Lege fit remissio, censebatur: quodq; ipse* QVINQVAGENARIVS NVMERVS *in Testamentis, Veteri quidem, ex Legis datione; Nouo, ex visibili* SPIRITVS SANCTI *in Discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur: quodq; huic plura & grandia Diuinarum adaptantur mysteria Scripturarum, &c.* Mysteria autem nonnulla Quinquagenario in Scri-

Plat. in eius vitâ.

In c. Vnigen. inf.

Scripturis attributa versibus decantantur apud Aratorem, II. Histor. Apostolicæ:

Lege sacer Numerus delicta resoluit, vt olim
Diluit in toto Dauid sua crimina Psalmo:
Contractusq; fugat, nam quinquagesimus annus
Cùm IVBILEVS *adest proprij distractio ruris*
Antiquo donatur hero: seruire coactis
Libertas amissa redit: mala debita laxat
Creditor, & limen Patriæ vetus aspicit exul.
Quinquaginta etiam cubitis distenditur Arca
Quæ depressa vadis, atque æquore tuta, salutem
Sub numero Pietatis agit, seruataq; crescit
Per spatij parcentis opem, quia CHRISTVS *vbiq;*
Condidit Ecclesiam, veniâ fabricante capacem,
Quæ sic cœpta fretis latissima funditur aruis.

De IVBILEI CLEMENTINI solemnitate parciùs à Scriptoribus traditur, quòd circa ea tempora pestis adeò sæua, triennio continuo, Italiam deuastauerit, vt (Auctore Platinâ) *vix decimus quisque ex millesimo homine superfuerit.* *in Clem. 6. Tursellin. in comp.* Crederes illam sanctissimo eo tempore neglectis diuinis Ritibus barbarè inter se confligentem, ac diutino bello collisam, iustas impietatis suæ pœnas exsoluere.

Ter vno Seculo (quod mirere) in IVBILEO indicendo variatum est. nam quem BONIFACIVS VIII. Anno centesimo, more maiorum, & CLEMENS VI. quinquagesimo quoque redeunte celebrandum decreuerant; eum VRBANVS VI. PONT. MAX. trium & triginta annorum spatio definierat, & in Annum eius seculi XC. publicauerat. Numeri mysterium fuit, quòd totidem annis, & paullò ampliùs, CHRISTVM *BONIFACIVS IX. 1390.* *Onuphr. in add. ad Plat.*

STVM

S. Card. Borro. in ep. ad Mediol. Bzouius ad Ann. sup. 2. Reg. 5.

STVM MESSIAM vixiſſe vetus Eccleſiæ traditio eſt. Eumque Numerum, non abſque Typo venturi de ſemine ſuo MESSIAE, Rex olim Dauid ſacrauerat, cùm pari annorum numero ſuper Iudam & Iſraël Hieroſolymis regnauit. Contrahendo Iubileo eadem, quæ in CLEMENTE, cauſſa; paternus ac Pius Pontificis in Eccleſiam adfectus, ne tam ſalubre humani generis bonum tantis temporum ſpatiis differretur. Olim namque dum vitiorum minus erat & ampliùs Pœnitentiæ impenſum, minus periculi in dilatione viſum; creſcentibus ætate morbis crebrioribus remediis opportunum vti fuit. Itaque eum Annum indictum ſucceſſor BONIFACIVS peregit, tantâ peregrinorum affluente multitudine, vt numerum omnem excedere videretur. Quæ multitudo eò copioſior fuit quòd viſitantis cognatam ſuam DEIPARAE feſtiuitas ab VRBANO concepta, & à BONIFACIO honorifico Diplomate confirmata, magnificæque anno Sacro Romæ auſpicanda, plurimos mortales exciuiſſet.

Bzou. ibid.

CA-

CAPVT XV.

Tria Seculi Millesimi Quadringentesimi IVBILEA sub BONIFACIO IX. NICOLAO V. & SIXTO IV. Pontt. Maxx. acta. De IVBILEI Orthographiâ iterùm, & Numero XXV. nonnihil intermistum.

BONIFACIVS IX. Pont. Max. qui ex decreto VRBANI VI. decessoris sui, IVBILEVM decennio antè, vti dixi, celebrauerat; idem quoque Seculo Nouo CIↃ.CCCC. more maiorum, solemni cærimoniâ, peregit. In quo frequentissimum piorum ex omni gente hominum confluxum Scriptores illius æui annotârunt. Gallicæ maximè gentis studia laudata, quam etsi Regium edictum, malignorum suggestu publicatum, domi subsistere compelleret, ingenti tamen numero, & in his illustres multi, & eximij, Romam aduenerunt. Mediolanensibus & Pragensibus vti intra mœnia sua id agerent, ob legittimas caussas, Pontificio Priuilegio concessum.

BONIFACIVS IX. iterum Anno 1400.

Onuph. in Chron. Blond. in Dec. Aen. Silu. in comp. Annal. Eccl. Aur.

Subinde MARTINVS V. è familiâ COLVMNENSIVM insignis Pontifex, Annum Solemnem ∞. CCCC. XXXII. iuxta præscriptum VRBANI celebrâsse fertur. Magnus mortalium numerus accurrit, tantaque rerum copia & tranquil-

MARTINVS V. Anno 1425.

Onuph. in Chron. Ciaccon. in eius vitâ.

tranquillitas fuiſſe traditur, vt promiſſam illam diuinitùs IOBELO Hebraico felicitatem adæquâſſe videri poſſit. Miror qui recens Annalium ſcriptor biennio pòſt hoc Solemne factum putet, cùm calculi ratio exigat, ab Anno xc. prioris ſeculi computando, vt in hunc annum incidat: eoque Anno in Chronico Romanorum Pontificum, ab Onuphrio edito, rectè annotetur. Falſi etiam quidam è mendoſo eius Chronici exemplari qui XXXVI. Anni IVBILEVM ab VRBANO inſtitutum, & à MARTINO peractum credunt.

S. Naghelmakerus de Iubil. c. 3.

NICOLAVS V. Anno 1450.

Celebratior vtroque iſto Annus Secularis Quinquageſimus NICOLAI V. quo tanta multitudo in Vrbem venit, quanta numquam anteà. FEDERICVS etiam CAESAR inaugurandus, cum Auguſtâ coniuge, & LADISLAO Pannoniæ Rege, eodem aduenìſſe fertur; nequid ad ſummam feſtiuitatem aut magnificentiam deeſſet. Quibus porrò cærimoniis in Vrbem recepti ſint, quibuſue inaugurati, in eo Libro fusè deſcribitur quem *de Ritibus* R. E. Chriſtophorus Marcellus LEONI X. Pont. dicauit. Qui auctor in Anni ratione cum Turſellino conuenit: Platina biennio poſt id factum mauult: qui & caſum illum lacrymabilem deſcribit, quò in ponte Vaticano è conſternatione ſubitâ compreſſâ multitudine ducenti homines, cum iumentis aliquot, ſuffocati; multi etiam à lateribus pontis in flumen deiecti, periere. Eodem anno Pontifex BERNARDINVM SENENSEM è Franciſcanâ Familiâ Diuorum Faſtis adſcripſit, vt in NICOLAI Epitaphio notatum habetur his verbis:

Tum

Tum Bernardino *statuit sua sacra* Senensi,

Sancta Ivbilei *tempora dum celebrat.*

In Platinæ exemplaribus sic vulgò habetur: sed in exemplo eiusdẽ Epitaphij alio, quod à Iacobo Villerio I.C. accepi, Iobelaei habebatur. quæ ὀρθογραφία etsi Fl. Iosepho in Antiquitatibus, D. Hieronymo in Epistolâ ad Galatas, Nauarro, Riberæ, aliisque viris eruditissimis probetur; vsus tamen (vt præmisi) Ecclesiæ alteram probauit, quòd res omnium rerum lætissima iubilanti voce aptiùs significaretur. Neque etiam adeò necessarium est vt deriuata vocabula primigenij sui elementa sic incorrupta seruent, vt non aliquid εὐφωνίας caussâ interdum concedatur. Mira Nicolai Principis diligentia in viis Italiæ tutandis peregrinantium commodo, mira pietas in Supplicationibus anno Sacro obeundis, mira in annonâ curandâ sollicitudo ab Historicis describitur: vt quantum Doctrinæ laude, ac Doctorum virorum suscepto patrocinio, paucos sibi in summis Infulis pares habuit; ita Pietate ac vitæ probitate non minùs commendari, ac velut in exemplum proponi, mereatur. Cap. 9.

Successit Solemne Sixti IV. Pontificis item egregij, xxv. pòst Anno, qui eius Seculi LXXV. fuit, celebratum. Is decreto Pavlli II. Veneti primus obsecutus, Seculum Nouum quinque præuertit quinquenniis. Meliùs Christianæ R. P. consuli arbitratus si Pavllinæ iussioni obediretur, xxv. quoque Anno Ivbileo redeunte; quòd vnius hominis ætas ter *Annum* illum Sixtvs IV. Anno 1475.

illum *Felicem* attingere posset, in iuuentute nimirum, virili ætate, & senectute. Eam ergo Constitutionem ipse nouo Diplomate, quod Pontificio Iuri insertum legitur, sanctiùs confirmauit: quare multis visus hanc ipse consuetudinem induxisse potiùs, quàm nouo Edicto confirmâsse. Quod verò ad Numerum attinet *Quinctum* & *Vigesimum* (nam *Numeros* in re sacrâ non parui faciendos D. testatur Isidorus; & quicquid perfectum esset *Numero constare* Pythagorici asseruerunt) is, inter cæteros, à Mysteriorum Diuinorum magnitudine multum dignitatis ac sanctitatis accepit. Non defuerũt enim qui XXV. die mensis NISAN. quem nobis MARTIVM esse arbitrantur, Mundi γένεσιν factam assererent: etsi alij Æquinoctio Autumnali eam potiùs attribuant: quorum disputationes huc adferre neque nostri instituti, neque otij est. Illud tamen obiter affirmem Naturam ipsam, occultâ quadam συμπαθείᾳ, Vernam quasi originem testari, quòd ad diem VII. Kal. Aprileis Sol primùm diem longiorem nocte producat: quòd vigor plantis, fructicibus, arboribus, animantibus eo tempore redeat: quòd plurimæ nationes Anni inde Epocham, quasi à temporum radice, desumere instituerunt. Eâ etiam die, quam diximus, Romani *exordium lætitiæ* siue HILARIA celebrabant, ob iucundam atque lætam rerum omnium παλιγγενεσίαν: cùm, vt cecinit eximius Poëta, natali etiam Verno fauens,

Exer. de Pon. & Rom. — *Lib. 3. Orig.* — *dissentit. Torniellus ad ann. Mundi 0544.* — *Macrob. 1. Sat. c. 21.* — *ibid.*

Parturit almus ager, Zephyriq; tepentibus auris
Laxant arua sinus, superest tener omnibus humor.

Qui

Qui Mos ad Perſas hodie tranſiiſſe videtur, apud quos feſtus dies Verno tempore celebratur, regali ſanè pompâ, Nevrvz ipſorum linguâ appellatus: quaſi νεημερίαν diceres, aut *Nouum Diem*. Eadem Martij die primum hominem è limo terræ creatum D. credidit Athanaſius; atque ideò Salvatorem noſtrum Christvm eâ die conceptum, XXV. Decembris natum, iterum XXV. Martij paſſum, eademq́ue die, ſummo Mundi tempore, ad iudicandum humanum genus rediturum. De menſe ergo Principe Anni Sacri, in ver incidente, meritò præceptum: *Menſis hic* [Nisan] *vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni*. Nimirùm quod diem illum dierum principem, cum pluribus Myſteriis aliis, in ſe contineret. Numerum certè XXV. Pythagorici, quòd Tetragônus eſſet, in pretio habuerunt, magnamq́ue vim ad humanæ vitæ ætates diſtinguendas, animumq́ue virtutibus ac religione imbuendum, habere cenſuerunt. Vnde Herodicus Philoſophus, apud Cenſorinum, γενέας quas Zenon XXX. Annorum ſpatio abſoluerat, XXV. circumſcripſit: *Orbe* illo *circũacto humanam Naturam à ſementi ad ſementem reuerti* arbitratus. Polycrates autem, neſcio quis, Abrahamo Patriarchæ perſuaſum fuiſſe aït, idque Zoroaſtrem ab ipſo didiciſſe, Quinquageſimo quoque anno Periodum Magnam peragi, ſiderumq́ue omnium ἀποκατάστασιν, & elementorum expurgationem hinc ſequi: cuius rei fides auctori relicta ſit. Meritò igitur in illum Numerum qui & humanæ vitæ commodus, ac Naturæ vtilis, & Myſteriorum

Ferdin. Lopez l. Rer. ad. 6.

quæſt. 17. ad Antiochum.

Exod. 12.

riorum

Abominati ne furiis premi
Sinas Draconis, quem Tibi subditum
Per vasta colla sibilanti
Vidimus infremuisse linguâ.

Quod si cuiquam non displicuerit hic impetus, & si tanti esse putauerit, cætera huius Poëmatis in Lyricorum nostrorum carminum fronte posita inueniet. Inuitabit ergo piè peregrinantem, & ad se trahet, LAVRETANAE ÆDIS sanctitas; inuitabit etiam cælestium beneficiorum magnitudo; quæ si vllo terrarum loco, illhic certè à Diuinâ Benignitate liberalissimè dispensantur. Corpore infirmus es? medicinam dabit Virgo: animo anxius? solatium & iucunditatem afferet: conscientiâ pauidus? dulcem suggeret in amaritudine salutari lætitiam: in periculis constitutus? terrâ, aut mari, trepidus, ac pænè de salute desperans? salutem dabit MARIA, Libertatem, Vitam, ac quicquid petere cum fiduciâ audes, præbebit MARIA. Et quot illa mortalibus iam olim, ac nuper hæc præbuerit, ipsi sacri parietes donariis votiuis onusti, ipsa Templi atria Tabellis ἰυχαριστικοῖς circumuestita, aut potiùs ipse Orbis vniuersus, tantorum benefactorum conscius, inclamat & testificatur. gratulatoriis. Sunt verò pij viri ac facundi, qui, ad DEI ac DEIPARAE VIRGINIS gloriam, immortalibus scriptis ista prodiderunt; vt necessum non sit iis commemorandis prolixiùs inhærere; quod tamen in alio Carmine Votiuo, penes me, testimonium est, summatim Beneficia Virginea perstringens, veniam fortè suâ breuitate merebitur, ac fauorem:

Astrifera

Astriferæ Regina *domus,genitrixq́; Tonantis,*
Innuba concepto Numine facta Parens,
Quam super æthereas Superorum exercitus arces
Euectam æternâ laude salutat Heram;
Mille Tibi Ausonium radiant delubra per orbem,
Mille Tibi accendunt thura Sabæa foci;
Sed Lavretanis *Tua maxima gloria Templis,*
Picaenaqve *micat maximus Aede fauor.*
Id sacris fixæ muris pictæq́; Tabellæ,
Donaq́; Virgineis multa docent adytis,
Quàm multis,pia Diva, *adsis; facilemq́; vocatu*
Sentiat in trepido vir mulierq́; malo:
Ille inter medios flammarum constitit igneis,
Nec potuit iussu flamma nocere Tuo:
Deuotasq́; Tibi consecratasq́;, rosarum
In morem tantum est lambere visa comas:
Iste, procellosis dum naufragus errat in vndis,
Depinxit Voti signa secunda sui:
Seu fuit in præceps furibundo raptus ab amne,
Pertentans dubio cæca profunda solo.
Est quoque qui, fato Phrygium Astyanacta secutus,
Testatur precibus se superesse Tuis:
Est quoque qui, Duce Te, cæcas vitâsse latronum
Insidias potuit, terrificasq́;, manus:
Atque aliquis crudi fugiens Busiridis aras
Virgineam haud frustra sæpè vocauit opem.
Viuit hic horrendùm transfixus corpora ferro,
Atque Tibi est Vitæ debitor ipse suæ:
Ille alacri delapsus equo sine vulnere surgit,
Fractaq́; non vllo membra dolore leuat.
Sed quid ego obtritosq́; rotis, tauriq́; ferocis
Cornibus excussos sidera ad alta loquar?
Quid referam muris appensas, Virgo, *catenas,*

Quas posuit sæuo liber ab hoste reus?
Quid fractos laqueos, elisaq; vincula narrem,
Armaque in innocuos noxia stricta viros?
Quid numerem Geticis erepta Tropæa maniplis,
Fixaq; ad augustum barbara signa tholum,
Dum MARIAE *auspicio se vincere credidit hostem*
Martia, sed Marti non benè fisa, cohors?
Quid? quàm multa tuo Mater sit munere facta,
Cui gemere in sterili contigit antè thoro?
Quid morbi genus omne, luemq;, febresq; malignas,
Vincere quas medicæ non potuere manus,
Auxilio victas tanto, pulsasq; clientûm
Corporibus, vacuas non habuisse preces?
Quid memorem triplicis damnatas pollice fusi,
Ex Erebo, iussas sæpè redire animas,
Nequicquam nigrâ circumfrendente cateruâ;
Nequicquam infernâ multa mouente Styge?
Omnia Naturæ sanctas superantia leges,
Omnia victuro digna furore cani?

Dignissima certè æternis Ingeniis in ÆTERNA VIRGINE materia, & iam nobiles aliquot Musarum κισσοφόροι laudabiliter hanc operam præstiterunt. (ederigeri.) Optem sanè esse, & optaui diu, qui tot Rosas, Lilia, Violas in sertum vnum compingat, & LAVRETANAE VIRGINI consecret: suauiùs longè spiraturum quàm vel odorati Ciliciæ nimbi, aut fragrantes Arabũ messes, Theatris effusæ; vel omnia Assyriæ mercis cinnamã in Phœnicis vnius pyram constipata. Quis igitur ille tam ignauus erit, ac vecors, qui Sacratissimi loci vel maiestate, vel beneficentiâ, non commotus (si facilè potest, immò si vllâ ratione potest) non accurret illicò ad tantum præsidium?

dium? non ſibi propitiam Virginem, non fauentem Virginis Filivm, in hoc terreſtri vti cælo, reddere conabitur? Quis etiam non putet hanc ſibi diuinitùs velut legem impoſitam vt Ivbilevm aditurus Lavretvm declinet, cùm eodem ferè tempore & Ivbilevm ſolenniter indictum ſit à Bonifacio iix. & Lauretana cellula in Italiam delata? Euoluite Annales, perquirite teſtes, & veritatem hùius rei compertam habebitis. Parum itaque mihi feciſſe videbitur qui, cùm liceat, Lavretvm non adibit. immò non omnia mihi feciſſe videbitur qui, etiam cùm non liceat, Lavretanam Virginem de itinere non ſalutârit.

CAPVT XIV.

Quinam Pontifices, & quando, IVBILEVM celebrârint. BONIFACII VIII. Solemne maximum fuiſſe: eius de FLORENTINA R. P. vaticinium. D. ANTONINI de Pontifice iſto iudicium. CLEMENTIS & VRBANI SEXTOR. circa tempus IVBILEI decreta. Numeri L. & XXXIII. dignitas indicata.



Icut Græcis ante tempora Olympiadis Iphitææ Temporum ratio obſcura fuit, atque inde æuum illud fluxit quod ἱστορικὸν appellârunt, à maiore rerum geſtarum *M. Varro apud Cenſorin.*

 certi-

certitudine; ita in re noſtrâ IVBILEA, ante BONIFACII VIII. PONT. MAX. æuum, non adeò exploratum eſt qui Pontificum Romanorum, aut quando, Solemne iſtud celebrauerint, aut quibus adeò cærimoniis in eo celebrando ſint vſi. Ipſe BONIFACIVS primùm ſolemnem IVBILEI obſeruationem in ius redegit, maximoque Sacrorum apparatu, & incredibili ex omnibus Orbis partibus multitudinis concurſu, illud ipſum peregit Anno Chriſtiano iuxta calculos Dionyſij Exigui, CIƆ. CCC. In quâ celebritate illud admirandum ab illius æui Scriptoribus memoratur, *ducenta hominum peregrinorum millia*, vnaquaque ferè ſacri Anni die, Romæ numerata. Addit ampliùs Platina, tantam eo anno multitudinem confluxiſſe, *vt vix incedere per Vrbem, amplam quidem & vaſtam, liceret*. Neque tantæ paſcendæ multitudini Diuina Benignitas defuit. admirabilem namque ac prodigioſam eo anno Annonæ copiam in Vrbe & Italiâ conſpectam obſeruauit Iacobus Cardinalis, qui & Solemne illud vidit, & oculatâ fide, quæ vidit, poſteritati mandauit. Venit tum inter cæteros illuſtres Viros ad Vrbem CAROLVS VALLESIVS, PHILIPPI Francorum Regis frater, BALDVINI IMP. CONSTANTINOPOLITANI gener, honorificè à Pontifice exceptus, & mox pietatis eius cauſſâ Tuſciæ præfecturâ donatus. XII. quoque Legationes, à diuerſis Principibus ac Rebuspublicis ad BONIFACIVM miſſæ, ipſum Annum cohoneſtârunt: in queis præclarum FLORENTINORVM ſtudium enituit. Fertur ſubinde Pontifex, cùm in celebri Præſulum conſeſſu

BONIFACIVS VIII. Anno 1300.

S. Antonin. in Chron. p. 3. Iaco. Cardin.

in Chronico Fr. Longi Coriolani.

B. Platina Paull. Aemil. Turſellin.

Matth. Palmer. in Chron.

ſeſſu peroraret, Legationum iſtarum Titulos recenſuiſſe, &, cùm ad Florentinos ventum eſſet, in hanc vocem prorupiſſe; *In gloriam* FLORENTINI *nominis affirmo in gubernatione orbis terrarum* FLORENTINOS *aliud elementum fore*. Quod Vaticinium à D. quoque ANTONINO, ſanctiſſimo Florentinorum Antiſtite, obſeruatum, rei poſteà veritas comprobauit. Exinde namque vna Florentina ciuitas tot Illuſtres Ingenij ac Pietatis laude viros, tot militari laude florentes, tot Principes & Heroës Orbi dedit, quot vix alibi Prouinciæ vniuerſæ. Vel illud quàm magnificum eſt (vt cætera eius ornamenta taceam) quatuor, intra vnius ferè ſeculi ſpatium, PONTIFICES MAXIMOS Ciues ſuos habuiſſe: LEONES ſcilicet duos X. & XI. CLEMENTEM VII. &, quem hodie in cathedrâ PETRI ſedentem veneramur, VRBANVM VIII. Viderint alij quomodò vaticinium iſtud BONIFACII interpretandum putent; ego diuinitus inſpiratum id pronunciâſſe credo, quod, SVMMO GENERIS HVMANI BONO, in SACRATISSIMORVM PRINCIPVM TETRADE videmus impletum. Cæterùm Pontificem BONIFACIVM etſi amarè ſcriptores quidam vellicent, idem Antoninus (quod miratus ſum) *hominem prudentem, ac litteratum, magni animi, Zelatorem magnum, & conſeruatorem Iurium Eccleſiæ appellat*. cuius teſtimonium, vt hominis ſanctiſſimi & integerrimi, cùm, vt par eſt, magni apud omnes fieri debeat; miror apud quoſdam minus fidei inueniſſe, quàm Scriptorum aliorum calumnias, in gratiam Principum & Regum, ſacroſanctæ Pontificum maieſtati niſquam

in Chron. ibid.

misquam sæpè obtrectantium. BONIFACII si qua fuere (& fuerant certè) vitia non excuso; tantâ tamen acerbitate detecta doleo: neque vllum ferè, sancto illo viro excepto, exstitisse qui, quas ille virtutes eximias, & vitiis fortè superiores, habuit in aspectum produceret; miror ac indignor: reliquis, instar maledicti Cham, solam Parentis sui fœditatem nudauisse contentis.

CLEMENS VI. Anno 1350.

Centenarium BONIFACII Solemne CLEMENS VI. excepit, qui in Annum ab exacto illo Quinquagesimum, IVBILEI nomine, primus Indulgentiam publicauit: vt ipsius Diploma etiamnum superstes, & Decretis insertum, fidem facit. Caussas contracti IVBILEI, præter Romani Populi preces quas Auenione positus accepit; duas potissimùm habuit, exemplum Legis Veteris quæ Annum Quinquagesimum sacrauit; & Humanæ Vitæ breuitatem, *per quam pauci, multorum respectu, ad annum centesimum valeant peruenire*. Notatu certè digna videntur illa quæ de Numeri Quinquagenarij dignitate in suâ Constitutione promulgauit: *Nos autem attendentes quòd* ANNVS QVINQVAGESIMVS *in Lege Mosaicâ (quam non venit Dominus soluere, sed spiritualiter adimplere)* IVBILEVS *remissionis, & gaudij; sacerq; dierum numerus, quo Lege fit remissio, censebatur: quodq; ipse* QVINQVAGENARIVS NVMERVS *in Testamentis, Veteri quidem, ex Legis datione; Nouo, ex visibili* SPIRITVS SANCTI *in Discipulos missione, per quem datur peccatorum remissio, singulariter honoratur: quodq; huic plura & grandia Diuinarum adaptantur mysteria Scripturarum, &c.* Mysteria autem nonnulla Quinquagenario in Scri-

Plat. in eius Vitâ.

In c. Vnigen. inf.

Scripturis attributa versibus decantantur apud Aratorem, II. Histor. Apostolicæ:

Lege sacer Numerus delicta resoluit, vt olim
Diluit in toto Dauid sua crimina Psalmo:
Contractusq; fugat, nam quinquagesimus annus
Cùm Ivbilevs *adest proprij distractio ruris*
Antiquo donatur hero: seruire coactis
Libertas amissa redit: mala debita laxat
Creditor, & limen Patriæ vetus aspicit exul.
Quinquaginta etiam cubitis distenditur Arca
Quæ depressa vadis, atque æquore tuta, salutem
Sub numero Pietatis agit, seruataq; crescit
Per spatij parcentis opem, quia Christvs *vbiq;*
Condidit Ecclesiam, veniâ fabricante capacem,
Quæ sic cœpta fretis latissima funditur aruis.

De Ivbilei Clementini solemnitate parciùs à Scriptoribus traditur, quòd circa ea tempora pestis adeò sæua, triennio continuo, Italiam deuastauerit, vt (Auctore Platinâ) *vix decimus quisque ex millesimo homine superfuerit.* *in Clem. 6. Tursellin. in comp.* Crederes illam sanctissimo eo tempore neglectis diuinis Ritibus barbarè inter se confligentem, ac diutino bello collisam, iustas impietatis suæ pœnas exsoluere.

Ter vno Seculo (quod mirere) in Ivbileo indicendo variatum est. nam quem Bonifacius viii. Anno centesimo, more maiorum, & Clemens vi. quinquagesimo quoque redeunte celebrandum decreuerant; eum Vrbanvs vi. Pont. Max. trium & triginta annorum spatio definierat, & in Annum eius seculi xc. publicauerat. Numeri mysterium fuit, quòd totidem annis, & paullò ampliùs, Chri- *Bonifacivs ix. 1390.* *Onuphr. in add. ad Plat.*

S. Card. Borro. in ep. ad Mediol. Exenius ad Ann. sup. 2. Reg. 5.

STVM MESSIAM vixisse vetus Ecclesiæ traditio est. Eumque Numerum, non absque Typo venturi de semine suo MESSIAE, Rex olim Dauid sacrauerat, cùm pari annorum numero super Iudam & Israël Hierosolymis regnauit. Contrahendo Iubileo eadem, quæ in CLEMENTE, caussa; paternus ac Pius Pontificis in Ecclesiam adfectus, ne tam salubre humani generis bonum tantis temporum spatiis differretur. Olim namque dum vitiorum minus erat & ampliùs Pœnitentiæ impensum, minus periculi in dilatione visum; crescentibus ætate morbis crebrioribus remediis opportunum vti fuit. Itaque eum Annum indictum successor BONIFACIVS peregit, tantâ peregrinorum affluente multitudine, vt numerum omnem excedere videretur. Quæ multitudo eò copiosior fuit quòd visitantis cognatam suam DEIPARAE festiuitas ab VRBANO concepta, & à BONIFACIO honorifico Diplomate confirmata, magnificæque anno Sacro Romæ auspicanda, plurimos mortales exciuisset.

Bzou. ibid.

CAPVT XV.

Tria Seculi Millesimi Quadringentesimi IVBILEA sub BONIFACIO IX. NICOLAO V. & SIXTO IV. Pontt. Maxx. acta. De IVBILEI Orthographiâ iterùm, & Numero XXV. *nonnihil intermissum.*

BONIFACIVS IX. Pont. Max. qui ex decreto VRBANI VI. decessoris sui, IVBILEVM decennio antè, vti dixi, celebrauerat; idem quoque Seculo Nouo CIↃ.CCCC. more maiorum, solemni cærimoniâ, peregit. In quo frequentissimum piorum ex omni gente hominum confluxum Scriptores illius æui annotârunt. Gallicæ maximè gentis studia laudata, quam etsi Regium edictum, malignorum suggestu publicatum, domi subsistere compelleret, ingenti tamen numero, & in his illustres multi, & eximij, Romam aduenerunt. Mediolanensibus & Pragensibus vti intra mœnia sua id agerent, ob legittimas caussas, Pontificio Priuilegio concessum.

BONIFACIVS IX. iterum Anno 1400.

Onuph. in Chron. Blond. in Dec. Aen. Silu. in comp. Annal. Eccl. Aur.

Subinde MARTINVS V. è familiâ COLVMNENSIVM insignis Pontifex, Annum Solemnem ∞. CCCC. XXXII. iuxta præscriptum VRBANI celebrâsse fertur. Magnus mortalium numerus accurrit, tantaque rerum copia & tranquil-

MARTINVS V. Anno 1425.

Onuph. in Chron. Ciaccon. in eius vitâ.

tranquillitas fuiſſe traditur, vt promiſſam illam diuinitùs IOBELO Hebraico felicitatem adæquâſſe videri poſſit. Miror qui recens Annalium ſcriptor biennio pòſt hoc Solemne factum putet, cùm calculi ratio exigat, ab Anno xc. prioris ſeculi computando, vt in hunc annum incidat: eoq́ue Anno in Chronico Romanorum Pontificum, ab Onuphrio edito, rectè annotetur. Falſi etiam quidam è mendoſo eius Chronici exemplari qui XXXVI. Anni IVBILEVM ab VRBANO inſtitutum, & à MARTINO peractum credunt.

S. Naghelmakerus de Iubil. c. 3.

NICOLAVS V. Anno 1450.

Celebratior vtroque iſto Annus Secularis Quinquageſimus NICOLAI V. quo tanta multitudo in Vrbem venit, quanta numqùam anteà. FEDERICVS etiam CAESAR inaugurandus, cum Auguſtâ coniuge, & LADISLAO Pannoniæ Rege, eodem aduenisſe fertur; nequid ad ſummam feſtiuitatem aut magnificentiam deeſſet. Quibus porrò cærimoniis in Vrbem recepti ſint, quibuſue inaugurati, in eo Libro fusè deſcribitur quem *de Ritibus* R. E. Chriſtophorus Marcellus LEONI X. Pont. dicauit. Qui auctor in Anni ratione cum Turſellino conuenit: Platina biennio poſt id factum mauult: qui & caſum illum lacrymabilem deſcribit, quò in ponte Vaticano è conſternatione ſubitâ compreſſâ multitudine ducenti homines, cum iumentis aliquot, ſuffocati; multi etiam à lateribus pontis in flumen deiecti, periere. Eodem anno Pontifex BERNARDINVM SENENSEM è Franciſcanâ Familiâ Diuorum Faſtis adſcripſit, vt in NICOLAI Epitaphio notatum habetur his verbis:

Tum

Tum Bernardino *statuit sua sacra* Senensi,

Sancta Ivbilei *tempora dum celebrat.*

In Platinæ exemplaribus sic vulgò habetur: sed in exemplo eiusdẽ Epitaphij alio, quod à Iacobo Villerio I.C. accepi, Iobelaei habebatur. quæ ὀρθογραφία etsi Fl. Iosepho in Antiquitatibus, D. Hieronymo in Epistolâ ad Galatas, Nauarro, Riberæ, aliisque viris eruditissimis probetur; vsus tamen (vt præmisi) Ecclesiæ alteram probauit, quòd res omnium rerum lætissima iubilanti voce aptiùs significaretur. Neque etiam adeò necessarium est vt deriuata vocabula primigenij sui elementa sic incorrupta seruent, vt non aliquid εὐφωνίας caussâ interdum concedatur. Mira Nicolai Principis diligentia in viis Italiæ tutandis peregrinantium commodo, mira pietas in Supplicationibus anno Sacro obeundis, mira in annonâ curandâ sollicitudo ab Historicis describitur: vt quantum Doctrinæ laude, ac Doctorum virorum suscepto patrocinio, paucos sibi in summis Infulis pares habuit; ita Pietate ac vitæ probitate non minùs commendari, ac velut in exemplum proponi, mereatur. *Cap. 3.*

Successit Solemne Sixti IV. Pontificis item egregij, xxv. pòst Anno, qui eius Seculi LXXV. fuit, celebratum. Is decreto Pavlli II. Veneti primus obsecutus, Seculum Nouum quinque præuertit quinquenniis. Meliùs Christianæ R. P. consuli arbitratus si Pavllinæ iussioni obediretur, xxv. quoque Anno Ivbileo redeunte; quòd vnius hominis ætas ter *Annum* illum Sixtvs IV. Anno 1475.

illum *Felicem* attingere posset, in iuuentute nimirum, virili ætate, & senectute. Eam ergo Constitutionem ipse nouo Diplomate, quod Pontificio Iuri insertum legitur, sanctiùs confirmauit: quare multis visus hanc ipse consuetudinem induxisse potiùs, quàm nouo Edicto confirmâsse. Quod verò ad Numerum attinet *Quinctum* & *Vigesimum* (nam *Numeros* in re sacrâ non parui faciendos D. testatur Isidorus; & quicquid perfectum esset *Numero constare* Pythagorici asseruerunt) is, inter cæteros, à Mysteriorum Diuinorum magnitudine multum dignitatis ac sanctitatis accepit. Non defuerũt enim qui XXV. die mensis NISAN, quem nobis MARTIVM esse arbitrantur, Mundi *γένεσιν* factam assererent: etsi alij Æquinoctio Autumnali eam potiùs attribuant: quorum disputationes huc adferre neque nostri instituti, neque otij est. Illud tamen obiter affirmem Naturam ipsam, occultâ quadam *συμπαθείᾳ*, Vernam quasi originem testari, quòd ad diem VII. Kal. Aprileis Sol primùm diem longiorem nocte producat: quòd vigor plantis, fructicibus, arboribus, animantibus eo tempore redeat: quòd plurimæ nationes Anni inde Epocham, quasi à temporum radice, desumere instituerunt. Eâ etiam die, quam diximus, Romani *exordium lætitiæ* siue HILARIA celebrabant, ob iucundam atque lætam rerum omnium *παλιγγενεσίαν*: cùm, vt cecinit eximius Poëta, natali etiam Verno fauens,

> *Parturit almus ager, Zephyriq; tepentibus auris*
> *Laxant arua sinus, superest tener omnibus humor.*

Exer. de Pan. & Rom.

Lib. 3. Orig.

dissentit. Torniellus ad ann. Mundi 9544.

Macrob. 1. Sat. c. 21.

ibid.

Qui

Qui Mos ad Persas hodie transiisse videtur, Ferdin. Lopez l.. Rer. nd. 6.
apud quos festus dies Verno tempore celebratur, regali sanè pompâ, NEVRVZ ipsorum linguâ appellatus: quasi νεημερίαν diceres, aut *Nouum Diem*. Eadem Martij die primum hominem è limo terræ creatum D. credidit Athanasius; quæst. 17. ad Antiochum.
atque ideò SALVATOREM nostrum CHRISTVM eâ die conceptum, XXV. Decembris natum, iterum XXV. Martij passum, eademque die, summo Mundi tempore, ad iudicandum humanum genus rediturum. De mense ergo Principe Anni Sacri, in ver incidente, meritò præceptum: *Mensis hic* [NISAN] *vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*. Exod. 12.
Nimirùm quod diem illum dierum principem, cum pluribus Mysteriis aliis, in se contineret. Numerum certè XXV. Pythagorici, quòd Tetragônus esset, in pretio habuerunt, magnamque vim ad humanæ vitæ ætates distinguendas, animumque virtutibus ac religione imbuendum, habere censuerunt. Vnde Herodicus Philosophus, apud Censorinum, γενεάς quas Zenon XXX. Annorum spatio absoluerat, XXV. circumscripsit: *Orbe* illo *circũacto humanam Naturam à sementi ad sementem reuerti* arbitratus. Polycrates autem, nescio quis, Abrahamo Patriarchæ persuasum fuisse ait, idque Zoroastrem ab ipso didicisse, Quinquagesimo quoque anno Periodum Magnam peragi, siderumque omnium ἀποκατάστασιν, & elementorum expurgationem hinc sequi: cuius rei fides auctori relicta sit. Meritò igitur in illum Numerum qui & humanæ vitæ commodus, ac Naturæ vtilis, & Myste-

riorum magnitudine ſacer atque perfectus eſſet, ſapientiſſimi Pontifices SACRVM REMISSIONIS ANNVM retulerunt: Sapientiam illam cæleſtem, cuius vices in terris gerunt, prouidè imitati, quæ, ſuiipſius teſtimonio, *omnia in Numero, & Pondere, & Menſurâ diſpoſuit*, & diſpoſita æquabili ac perpetuo tenore gubernat & regit. Vt ad SIXTVM redeamus, is eo Anno, quem dixi, Sacrum IVBILEVM frequentantibus Vrbem populis, ac FERDINANDO Neapolitanorum Rege cò aduentante, celebrauit. Illi Pontifex, pietatis cauſſà, loca lautia in Palatio præbuit, annuumque cenſum, quem Romanæ Eccleſiæ pendebat, remiſit. Eodem Anno, quòd Deus Romanis Sacris faueret, ingentem cladem Othomannico populo, à Stephano Moldauiæ Duce, illatam, ex Annalibus Turcicis Leonclauij Miræus noſter in Chronico obſeruauit.

Sap. 11.

Platina. Horat. Turſel.

CAPVT XVI

ALEXANDRI VI. CLEMENTIS VII. IVLII III. GREGORII XIII. & CLEMENTIS VIII. PONTIFF. Anni Seculares. Quæ in iis memoratu digna ſummatim expreſſa. Pulchra inſtantis IVBILEI ſpes.

ALEXANDER VI. Anno 1500.



Vmmum ALEXANDRI VI. Sacerdotium Anno Principe CIↃ. IↃ. & Solemni IVBILEO redeunte nobilitatum eſt. Quo anno tantus vniuerſarum gentium

tium concursus ad Vrbem fuit, *vt* (Velleij Aquensis verba sunt) *ab eâ, cuius magnitudini Orbis olim impar fuerat, ægrè caperentur.* Quin & omninò Vrbe capi multitudinem non potuisse credit, nisi barbaro & inhumano Mediolanensis Ducis facto, aureum nummum in singula Gallorum capita exigentis, plurimorum Pietas fuisset retardata. Cui tamen malo benignè Pontifex succurrit, delictorum veniâ his, quibus venire integrum non fuerat, per Diplomata concessâ. Solennem hunc Christianæ Pietatis annum Natalis CAROLI V. IMP. AVG. in Metropoli Flandriæ GANDAVO & Brasiliani Orbis detectio, celebriorem reddiderunt.

in suppl. Gaguini. *Plat. in Al. 6* *Mir. in Chron.*

CLEMENTI VII. PONT. MAX. idem annus celebritatem IVBILEAM, & principium Dignitatis attulit: quinctus enim & Vigesimus nominati seculi fuit. Quo anno cùm horrendi rusticorum tumultus, Luthero classicum canente, in Germaniâ; CAESARIS etiam ac FRANCISCI Regis bella in Italiâ & Galliâ desæuirent; omniaque peregrinantibus infesta essent, rariora exterorum agmina in Vrbe conspecta sunt. Eóque magis quod iam tum Lutherus sacrilego ore in sacros Ecclesiæ Ritus, & potestatem Romani Pontificis, debacchatus, quamplurimos à veteri Religionis feruore, ac legitimis maiorum institutis, auertisset. Quâ tamen ætate à Mexicano Rege, sacris tunc primùm nostris initiato, & Æthiopiæ Imperatore, missi ad CLEMENTEM Legati, multum Ecclesiæ Romanæ Orthodoxæ, & Apostolicæ Sedi, ornamenti ac dignitatis attulerunt.

CLEMENS VII. Anno 1525. *Iouius in Cornely Elogio.* *Onuph. in Vita* *Tursellin.* *Osor. Hist. Orient. lib. 8.*

IVLIVS III. Anno 1550.

Eadem felicitate IVLIVS III. (si Onuphrio credimus) Pontificias infulas à Solemni IVBILEO, (quod è Decreto PAVLLINO, in Annum CIↃ. IↃ. L. incidebat) auspicatus, die S. MATTHIAE APOSTOLO Sacrâ, apertis, veteri instituto, quatuor Portis ei Solenni initia fecit: easdemque, anno vertente, Epiphaniæ die sub vesperam, magnâ cærimoniarum pompâ clausit. Conuenere tunc ad Vrbem frequentia populorum, sed ferè Italicorum, examina: quòd Lutherana contagio iam non latis Germaniæ campis clausa, sed vlteriùs euagata, finitimos quoque populos, sacro velut igni, afflâsset ac infecisset. Neque tamen Pontificiæ Maiestati sua dignitas defuit: nam eodem anno innumeri Principum ac Rerumpublicarum Legati ad obedientiam, de more, præstandam; Armeniæ quoque maioris & Assyriæ Patriarchæ, qui se cum Ecclesiâ Romanâ coniungerent, in Vrbem venerunt. DEO OPT. MAX. Ecclesiæ defensore, damnum quod Germanica tabes intulerat, in aliis Mundi finibus, nouo Fidei incremento resarciente, ac restaurante. CONCILIVM etiam OECVMENICVM, Tridenti inchoatum, quo velut fulmine Hæreses nostrorum temporum magnâ ex parte profligatæ sunt; sub id tempus non parum promotum pio Pontificis studio, Annales testantur.

Onuphr. in eius Vitâ. Maffeius Hist. Ind. lib. 1. Tursell.

GREGORIVS XIII. Anno 1575.

Post IVLIVM proximè GREGORIVS XIII. religiosissimus Pontifex, statas IVBILEI cærimonias indixit. Non alius ferè Sacer Annus fecundior Virtutum, aut illustrior Pontificiâ Liberalitate fuit. Neque id mirandum in eo Principe,

cipe,quem & vitæ ſanctitas eximium, & munificentia orbi vniuerſo conſpicuum demonſtrauit. Quantum ipſe in Pietatis opera impenderit Statua ei poſita declarat, cuius Baſi inſcriptum eſt: SESTERTIVM. OCTINGENTIES. SINGVLARI. BENEFICENTIA. AB. EO. IN. EGENOS. DISTRIBVTVM. Quam ſummam pænè incredibilem, eò fide digniorem omnes æſtimabunt, quòd è rationibus publicis accuratè collecta, & præclaro æternæ gloriæ Monimento à S.P.Q. R. in Capitolio conſecrata ſit. Anno illo, (quem aduenientium ſtudio & ſacrorum religione ac magnificentiâ eximium fuiſſe, qui ſpectauerunt, commemorant;) CAROLVS, Belgicus Princeps, Iuliacenſium Ducis filius primogenius, in Vrbe Sacrâ, ſummo omnium mœrore, ac præſertim Pontificis, qui paternâ eum beneuolentiâ complexus fuerat; ad cælites emigrauit. Diſpari longè fato, ſed pari tempore, Matthæus Flaccus Illyricus Belgicæ & Germaniæ peſtis (vt iurè eum Miræus appellat) peſte Francofurti diem obiit. diceres virulentum ingenium Annum iſtum, Piis omnibus vtilem atque ſalutarem, cùm diutiùs ferre non poſſet, effugere voluiſſe.

Baron. Ann. Tom. 2. Stapleton. de Magn. Rom. Eccl. lib. 2.

Steph. Pighius Herc. Prodicio.

Miræus in Chron.

Pontificatum CLEMENTIS VIII. ALDOBRANDINI Annus Secularis ∞. IↃC. magis illuſtrem reddidit. Quo tantus, pietatis ergô, vndique concurſus fuit, vt in vno ad Pontem Sixtinum Xenodochio quatuordecim hoſpitum millia, in ſingulos pænè dies, numerata cenſeantur. Iis alendis ipſe Pontifex è Sacro Ærario millenos aureos cottidiè elargitus eſt. Supplica-

CLEMENS VIII. Anno 1600.

 tiones

tiones diuerſarum gentium ſumptuoſiſſimæ ac numeroſiſſimæ toto anno habitæ: adeò vt viginti ſeptem hominum millia in iis conſpecta, & recenſita ferantur. Fama eius Solemnis adeò apud omnes peruagata eſt, vt Principes etiam non pauci, maximi ſtemmatis, etſi Caluinianâ aut Lutheranâ ſuperſtitione implicati, ad illud coràm ſpectandum, & admirandum, accurrerint. Et certè ſpectatu & admiratu digna fuit quà Principum Ciuiumque Romanorũ inſignis & verè Chriſtiana in exteros omnes beneuolentia ac benignitas; quà ipſius Pontificis, Templa cum Purpuratorum cœtu obeuntis, & Deo pro Salute Publicâ cum lacrymis ſupplicantis, pauperes etiam peregrinos communi menſæ adhibentis, iiſque miniſtrantis, aliaque religioſa opera, ſaluberrimo exemplo, facientis, pietas ac ſollicitudo. Cuius Pontificis Memoriam vti auguſtam ſanctamque Chriſtiani omnes meritò ſemper habebunt; ita gratias DEO agere conuenit immortales qui Nouo Seculari Nouum Pontificem prouidit, OCTAVI pariter cognomine dictum, iiſque meritis ac virtutibus quæ Muneri & cognomento iſti conueniant, inſigniter exornatũ. Sicuti enim in Ogdoade κυβικὸν στερέωμα eſt, eoque Numero ſumma Beatitudinis ac Sanctitatis continetur; meritò is quem Dignitas SANCTISSIMVM, Virtus BEATISSIMVM facit, VRBANVS OCTAVVS, ANNO SANCTO SANCTORVM COMMVNIONI præſidens, ea de ſe Religionis exempla pollicetur, quæ verecundia ipſius exprimi non ſinit; vita autem purè & innocenter

cubica ſoliditas.

in

in hanc vſque diem acta, ab vniuerſis iubet exſpectari.

CAPVT XVII.

ANNI SOLENNIS ROMANI indictio. Quando ea fieri ſolita. Ex occaſione de IVBILEO MYSTICO triplici actum. Typus Hebræorum in Secundo Myſtico expletus. IVBILEVM MAGNVM, vel SABBATVM SABBATORVM.



Icuti Remiſſionis Annus apud Hebræos die feſto Propitiationis Anni Noni ſupra Quadrageſimum, clangore buccinarum, & præconio ſeptem Sacerdotum, indicebatur; ita apud Chriſtianos die poſt ſolenne Paſchæ Quadrageſimo, qui Ascensioni Christi ſacer eſt, publicari, & in futurum annum è *Porticu Vaticanâ* proclamari ſolet. Atque ita hoc ipſo Anno CIↃ. IↃC. XXIV. in Vrbe factum, datis ad me litteris Vir clariſſimæ eruditionis ac Virtutis Ioannes Bapt. Lavrvs, Vrbano VIII. Pont. à cubiculis, ſignificauit. Quæ res, vti reliqua Sacratiſſimi Solennis, neque Myſterio, neque religione caret. Vt enim Christvs in cælum aſcendens, Morte, Dæmone, Mundo triumphatis, *captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*; ita Romanus Pontifex, Vicariã eius poteſtatem gerens, Libertatem Ephes. 4.

 à vin-

à vinculis iniquitatis, & DONA cælestis Indulgentiæ, cum vniuersâ Fidelium Societate benignissimè impertienda, prænunciat. Hic est enim Annus ille Diuinæ Miserationis, ac Beneficentiæ, de quo per Regem Prophetam dicitur:
Psalm. 64. *Benedices coronæ anni Benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur.* Et per Ieremiam cap. XXXI. *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Meritò certè illo tempore publicatur in Vrbe IVBILEVM, quò olim primùm in Ecclesiæ primordiis denunciatum, & expletâ Veteris Testamenti Figurâ celebratum est. Quod vt distinctiùs, quisquis hæc leget, intelligat; Triplicis IVBILEI MYSTICI, à nobis obseruati, explicationem proponam. Primum est Sacrosanctum illud (à quo tamquam Fonte cætera omnia profluxerunt) à Prophetis Buccinatoribus, & D. IOAN-
Luc. 3. NE BAPTISTA qui *Vox clamantis in deserto*; ab
Ioann. 1. Angelis *pacem* in Bethleem annunciantibus, &
Luc. 2. ab ipso Prophetarum summo CHRISTO SALVATORE, cùm Sabbatho in Synagogam introîsset, indictum: & ab eo qui indixerat in Arâ
ibid. 4.
Coloss. 2. crucis, vbi *Chirographum* damnationis nostræ suffixum est cruci, misericorditer consummatum. Formula verò, quâ in eo indicendo vsum refert DOMINVM Lucas, talis est in Isaiæ vaticinio: *Spiritus Domini super me, eò quòd vnxerit Dominus me, ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis Indulgentiam, & clausis apertionem; vt prædicarem Annū placabilem Domino, & diē vltionis Deo nostrō.*

Annum

Annum certè Placabilem prædicauit Dominus Ecclesiæ Sponsæ suæ dilectæ; Diem Vltionis Synagogæ quæ ipsum repudiauit. Annum Placabilem Orthodoxis omnibus intra fines Ecclesiæ consistentibus; Diem Vltionis ab Ecclesiâ Catholicâ, & doctrinâ eius ac communione, remotis. Annum Placabilem Christianis, occasione tantâ vtentibus, & cum verâ cordis contritione ac gratiarum actione illud celebrantibus; Diem Vltionis *cessantibus conuerti ad Dominum Deum suum*, & cum inutili seruo dormientibus, aut in crapulâ & luxu *diem salutis*, & *tempus acceptabile*, transigentibus. Quem verò fructum Ecclesia è cruce Christi, & huius impletione Mysterij perceperit, eleganter ac piè admodum dicitur apud Stephanum Vinandum Pighium: Christvs *Seruator noster* Ivbilevm *& Gratiæ verum Annum, à Iudæis ex Lege per figuram celebratum nobis attulit, & simul per Euangelium annunciauit mansuetis, hoc est spiritu pauperibus, vt D. Hieronymus Prophetæ verba interpretatur. Missus ad sananda vulnera contritorũ, & vt prædicaret captiuis, peccatoq; seruis Libertatem, clausis apertionem, vel vinctis solutionem. Hic Legis aboleuit obligationes, & reliqua vetera. Hic primi Parentis crimine genus humanum, infestissimi hostis seruituti mancipatum, suâ morte liberauit, peccatorum vincula soluit, clausos in barathro Patres antiquos à morte resurgens eduxit, apertaq; cæli portâ Beatitudinis Aeternæ thesauros patefecit. Hereditatem amissam, & felices Paradisi possessiones, cælestemq; Patriam exulibus nobis, ad eum redeuntibus, benignè restituit.* Alterum è Ivbileis Mysticis

Matth. 24.

2. Cor. 6.

In Excerpto de Iubil. apud Fr. Sthotium.

 est

Psalm. 46. est illud, quod à CHRISTO ad Patrem *ascendente in Iubilo, & voce tubæ* pariter indictum, die post Resurrectionem suam quadragesimo, qui ASCENSIONIS memoriâ celebris est; & in die sacro Pentecostes per missionem SPIRITVS SANCTI in discipulos, qui dies post illam Quinquagesimus fuit, impletum. Sicut enim Annus Quinquagesimus IOBELVS erat, vti sæpè diximus, Hebræis; ita dies Quinquagesimus à Paschate SABBATICVS erat, cùm post vndequinquaginta dierum labores manipulus Primitiarum, in Festo Pentecostes, siue Hebdomadarum, Deò dicabatur. Vnde eruditè apud D. GREGORIVM in Hymnis dicitur:

Solennis vrgebat dies,
Quo MYSTICO SEPTEMPLICI
Orbis volutus SEPTIES
Signat beata tempora.

Et apud D. HILARIVM Pictauiensem:

Patrata sunt hæc mysticè
Paschæ peracto tempore,
Sacro dierum numero,
Quo Lege fit Remissio.

In Manipulos igitur illos Ecclesiæ Præmetiuos, sicut quondam in Patrum hostias, ignis cælestis descendit: non ille quidem vltionis aut vindictæ; sed consolationis, pacis, indulgentiæ, sanctificationis, & gratiæ: qui non modò ipsorum Discipulorum corda suaui flammâ combussit; sed eas statim foras scintillas proiecit, vnde ho-
Actor. 2. minum circiter tria millia ad PETRI concionem, veluti facem quamdam Paracleticam, admoti fidei ardore succenderentur. De cuius

Mysterij

Mysterij præstantiâ sic ferè præstantissimus ille Doctor: *Venit die* Pentecostes Spiritvs S. *in centum viginti homines congregatos, in quibus &* Apostoli *omnes erant: qui illo adimpleti cùm linguis omnium gentium loquerentur, plures ex iis qui aderant stupefacti* [concionante Petro, & testimonium Resurrectionis Domini perhibente] *compuncti corde conuersi sunt, & tanti sanguinis, tàm impiè atque immaniter fusi*, Indvlgentiam *perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt.* Christi *enim* Sangvis *sic* In Remissionem Peccatorvm Omnivm *fusus est, vt ipsum etiam peccatum posset delere quo fusus est.* Hactenus D. Avgvstinvs: qui meritò verbis Indvlgentiæ & Remissionis in Mysterio hoc interpretando vsus. Eo namque Mysterio perfecto Veteris Ivbilei Typum expletum fuisse (non vt Caietanus, & alij opinantur, in statu siue *Ordinario* hodierno) cum doctissimo & acutissimo Nauarro antè asseruimus. Atque hinc credo Ritum illum in Ecclesiam Romanam introductum, quo Ivbilevs Annvs in Vaticano propylæo antè promulgatus in Lateranensi Basilicâ ipso Pentecostes denuò publicatur: totius ferè Vrbis Collegiis, Sodalitiis, & φρατρίαις (vt hoc etiam anno seruatum) assistentibus. Pulchrâ etiam ratione eadem Ecclesia, Christi Sponsa, Ivbilevm eâ luce primùm indicit, quâ ipse Sponsus è terris abiturus illud Discipulis suis publicauit: hoc est, *Spiritum* Libertatis, *in quo clamamus Abba pater*, breui mittendi promissionem fecit. Tertium ac postremum Ivbileorvm Mysticorvm est, quod *in voce Archangeli, & in voce Tubæ,* peractâ

Augustin. Tractatu 74. in Ioan.

Rom. 8.

1. Thess. 4.

peractâ rerum humanarum Hebdomadâ proclamandum Christiani omnes expectant: cùm scilicet ECCLESIÆ MILITANTIS laboribus expletis, & peregrinatione laboriosæ huius vitæ decursâ, aperientur Portæ Triumphales ÆTERNÆ IERVSALEM, & intromittentur *ad Nuptias agni*, qui *de potestatibus tenebrarum harum*, ac *spiritualibus nequitiæ*, *super aspidem & basiliscum ambulantes*, triumphare meruerint, & in horrendo Tribunali vocem illam optatissimam audire: *Venite benedicti Patris mei, accipite Regnum quod paratum est vobis à constitutione Mundi.* Quod ipsum Regnum, vel SABBATVM, vel IVBILEVM MAGNVM, meliori iure quis possit appellare, quàm illud quod in Veteri Lege ΣΑΒΒΑΤΟΝ ΣΑΒΒΑΤΩΝ, Mysticâ, futuri in requie beatorum æterni Sabbatismi, signatione celebrârunt. De quâ verè desiderabili requie dictum est à Gentium Doctore: *Itaque relinquitur Sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem eius, etiam ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* Et à D. Ioanne in Mysticâ Apocalypsi: *Amodò iam dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos.* Sequuntur illos non ad onerationem, sed ad remunerationem: *labores* enim *manuum suarum* beati *manducabunt*, & quæ hîc *seminauerint in lacrymis*, ibi *in exultatione metent*. Atqui ista περὶ μυστικῶν ἰοβηλαίων dicta sufficiant.

Apoc. 19. Ephes. 6. Psalm. 9[1]. Matth. 25. Hebr. 4. c. 14. Psalm. 127. Psalm. 125.

C A-

CAPVT XIIX.

Ritus aperiendæ PORTAE SANCTAE, eiusq́; Rei Symbola, ac Mysteria. Votum pro Salut. R. P. Christianæ.



INdicto iam IVBILEO (quod Sede vacante Pontificiâ etiam à Cardinale Ostiensi indici fas est) initium eius Solennis ab apertione PORTÆ SANCTÆ sumitur. Sic autem vocatur in Vaticano Templo Porta illa, quæ muro lateritio à Pontifice finito Anno IVBILEO clausa, Crucis signaculo, certisq́ue quibusdam cærimoniis consecrata, non nisi Anno proximo Sacro ab eodem recludi solet. Pari cognomento sunt illæ, & eidem Ritui subseruientes, quæ aliis in Ædibus per Cardinales Symmystas eadem horâ patefiunt. In Æde videlicet D. PAVLI, viâ Ostiensi; in Constantinianâ, SALVATORIS; in Exquilinâ; D. VIRGINIS ad Niues. Atque ita Quaternarius Numerus pulcherrimo huic Ritui dicatus: de quo mox amplius dicemus. Potiori autem ratione Quattuor hæ Portæ, per quas ad DIVINÆ MISERATIONIS ac CLEMENTIÆ adyta introitur, SANCTITATIS nomen sibi vindicant, quàm *Muri ac Portæ ciuitatium*, quas ideò SANCTAS esse I. C. arbitrati sunt quòd pœna capitis legibus sancita esset in eos, qui violare auderent. quâ lege Remus,

Zel. Zecchius. c. 4. de Indulg.

Stephan. Pighius in Excerpto de Iub.

L. Sanctum. 8. & 9 & L. si quis. ff. de rer. diuis.

Liu. lib. 1. Ouid. 4. Fast. Florus c. 1. Eutrop. lib. 1.

mus, Romuli frater, quod vallum à fratre in condendâ Vrbe positum, quasi irridens, transsiliisset, necatus est. atque ita (si DIs placet) *Sancti* illi

Fraterno primùm maduerunt sanguine Muri.

Si ergo quiddam religionis ac sanctitatis afferre illis potuit periculum effusi sanguinis, & pœnæ; quantò magis amabilis Clementiæ titulus *Sacrosanctas* eas *Portas* efficiet, per quas pœna euaditur æterna, & de *sanguinibus liberantur* omnes illi qui DEVM *salutis suæ* fideliter per illas ingressi salutauerint? Quàm Sacræ erunt ac Religiosæ *Portæ Sion*, Portæ cælestis Asyli in Arce Romanâ, quas *Dominus* diligendas proposuit *super omnia tabernacula Iacob?* Magis certè crescet earum in religiosis animis Sanctimoniæ opinio, si Ritum, quo aperiri illæ solitæ, è Stephano Pighio Solennis Gregoriani inspectore, breuiter indicauero. Eius verba hæc sunt in eruditissimo libello Italicæ Peregrinationis: *Non otiosum videbitur quòd orando pulsandoq; Gratiæ cælestis Portas aperiri posse cærimoniis* [Pontifex] *demonstret, dum omnibus ordinibus sacris stipatus, maximâ cum pompâ, Portam Basilicæ* D. PETRI, *Apostolorum Principis, in Vaticano, semper alioquin muro lateritio clausam, Anni illius initio, precibus & malleo recludit, atque per eamdem Crucis Sacrosanctæ signum Triumphale, cereaq; benedicta,* S. SPIRITVS *lucem mentes illuminantem, ac diuini amoris flammam corda succendentem. infert, populi multitudine ingenti subsequente.* Porrò Malleus ille (quod Pighio omissum) triplici ictu in *Portam Sanctam* à Sacerdote Sanctissimo infligitur:

Psalm. 50.

Psalm. 86.

Herculem Prodicium inscripsit.

gitur: quo Christianis indicari solet, non languidas quasdam aut remissas ad Remissionem scelerum consequendam preces adhiberi oportere; sed vehementes, calidas, frequentes: quod *regnum cælorum violenti rapiant*, & vim Deo inferre, citra tamen importunitatis periculum, à Diuinâ Sapientiâ edocti simus. Ternus etiam ictus præter Sacratissimæ Trinitatis mysterium, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum*; triplex illud Gaudium non obscurè significat quo Cælum, Terra, & Ignis Purgatorij loca Anno Sacro adueniente meritissimò exultant. In Cælo namque gaudium est beatis illis mentibus *super* tot *peccatoribus* salutari *Pœnitentiæ* lauacro lustrandis & expiandis. In Terrâ ipsis peccatoribus, seu *peccati seruis*, quorum instat redemptio. In igne Purgatorio, cùm animæ illhîc detentæ vi supplicationum & precum, quæ Anno illo Sacro toto passim Orbe funduntur, à grauissimis incendiis ad *Torrentem* æternæ *Voluptatis* se perducendas sperant. Enimuerò Gaudio illi in terris participando tres necessariæ sunt Pœnitentiæ functiones, *Confessio, Contritio, Satisfactio*. Satisfacimus etiam per tria Pietatis opera in Diuinis Libris præcipuè commendata, *Ieiunium, Orationem, Eleemosynam*; quæ & peccati fœditatem extinguunt, & Portum cælestis Regiæ, *in quam* nihil immundum aut *coinquinatum* ingreditur, pœnitentibus aperiunt. Portæ igitur Sacræ quattuor eodem tempore diuersis in Ædibus, incipiente Ivbileo, patefiunt: pridie scilicet τῆς θεοφανείας seu Dominici Natalis. Quod tempus potissimùm delectum

Matth. 11. Iacob. 1. Luc. 15. Psalm. 35. Tobiæ præsertim 12. Apoc. 21.

I. Euclides de die Pass. Dom. c. 3. Ioann. 12. lectum eſt, vel quòd plerique Chriſtiani, Anni principium hinc ſumant Dionyſij Exigui methodum ſecuti; vel quòd à CHRISTO, qui *oſtium* & ianua vitæ eſt intromitti ad illam ſperemus; Incarnatione. vel quòd eius in terram deſcenſu, & *ἐνσαρκώσει*, omnis Libertatis ac Remiſſionis gratia ad nos deriuata ſit. Neque myſterio caret in CHRISTI, D. VIRGINIS, & APOSTOLORVM Templis hanc cærimoniam fieri, cùm iuxta Filium Sacratiſſima Virgo etiam *Porta Cæli* ſit, per portam illam *clauſam Principi* apud Ezechielem ſignata, c. 44. *per quam ſolus Dominus Deus Iſrael ingreditur.* Apoſtoli etiam, maximè illorum Principes PETRVS & PAVLLVS, Portæ fuerunt, per quas omnis credentium multitudo in Ouile Dominicum introiit. De quibus Portis, piè magis quàm eleganter, quondã cecinit Venantius Fortunatus.

Italiæ Mundiq; caput quos ROMA *retentat,*
Vrbs vel Alexandri, aut Antiochenus ager,
Quos Oriens, Occaſus habet, quos Africa, & Arctos,
Quoſq; ſepultat humus, cingit & Oceanus;
Natio, gens, populus, regiones, agmina, Reges,
Vndiq; currentes ad noua dona Patris;
Aethiopes, Thraces, Arabes, Dacus, Indus, Alanus,
Aurora & Veſper, Perſa, Britannus adeſt:
Intrantes in regna Dei, pietate redempti,
Gaudia viſuri Regis in arce poli:
Quos recipit ſacra Porta PETRI, *quos ianua* PAVLLI,
Poſtis ad ANDREAE *limen Achaia patet.*
MATTHEVS *Aethiopes, Ephеſinos valua* IOANNIS,
Et quem quiſquis amat hunc ſua Porta regit.

Eas

Eas etiam Portas è *ſingulis margaritis* fabricatas, in circuitu cæleſtis Hieruſalem, duodenario numero vidiſſe ſe teſtatur in ſuâ Pathmicâ viſione D. Ioannes Apoſtolus: & in his *Angelos duodecim* velut cuſtodes appoſitos, *& nomina inſcripta, quæ eſſent nomina duodecim Tribuum filiorum Iſrael.* *Apoc. 21.* Conſuetudinis verò receptæ eſt Anno Solenni per ſolam Portam Sacram in Templa ingredi, quòd non alia ad Salutem pateat via, niſi ea quam CHRISTVS Redēptor N. Beatiſſima eius Parens, & Sanctiſsimi Religionis noſtræ Principes, in vnâ ac verâ Eccleſiâ Romanâ Catholicâ, quæ in ſemitas erroris numquam declinauit; extra quam, velut olim in Diluuio, extra ARCAM NOE, nulla ſalus reperitur; primi oſtenderunt. Anno autem elapſo, eadem ferè die quâ apertæ fuerunt, ſolenni Ritu, nouis tamen cærimoniis, occluduntur. *Mart. Nauar. in fine Com. de Iubil. Iul. Zecchius ibid.* De quibus Cærimoniis aliquid parco attingere, quòd arbitrariæ potiùs ſint, quàm certæ vel conceptæ, vt ab iis quæ apud Nauarrum & alios de his adferuntur, intelligi datur. Illud tamen Theologi per occluſionem Sacræ Portæ ſignificari volunt, eum qui ad cæleſtia Regna per IVBILEI Gratiam admiſſus ſit, ſtabili eorumdem poſſeſsione fruiturum, neque vmquam illa amiſſurum, aut inde egreſſurum. Illud etiam, dum hîc viuimus ſeriò viuendum nobis eſſe, neque vllam Salutis acquirendæ occaſionem negligendam; ne (quod olim de gente Phrygiâ dictum) ſerò ſapiamus: aut durum illud cum fatuis Virginibus ἄκουσμα audire cogamur, *Neſcio vos*: ſerâ cæleſtis Miſericordiæ, ad ſurdas ac inanes preces, in perpe- *Matth. 25.*

H tuum

tuum obfirmatâ. Voto finiendum hoc caput eſt, & inter religioſiſsimas cærimonias PRO SALVTE R.P. CHRISTIANÆ ſolennis Formula concipienda:

FAXIT. DEVS. OPT. MAX.
PACIFICATOR. ÆTERNVS
SICVT
OLIM. IN. PROFANA. RELLIGIONE
PACE. TERRA. MARIQ. PARTA.
AVGVSTVS. IMP.
IANI. GEMINI. PORTAS. CLVSIT.
ITA
VRBANVS. OCTAVVS
RELLIGIOSISS. PONTIFEX
DISSIDIIS.PRINCIP.CHRISTIANOR.
COMPOSITIS. HOSTIB. ECCLES. ET
IMPERII.ROM.PERDVELLIB. TOTO
ORBE. TERRAR. DEBELLATIS
NOVI. SECVLI. PORTAS
FELICITER
APERIAT. ET OBSIGNET.

CA-

CAPVT XIX.

Quanam Basilicæ Anno Sacro visitandæ: earum Elogia ac Tituli. Quaternario religiosam, in Vrbe, περίοδον absolui. Diuinum eum Numerum esse, atque ideò Diuinis rebus meritò accommodatum.



Vaternis in Basilicis, quarum præcipua est VATICANA, τὰς ἱερὰς πύλας aperiri diximus; quæ cærimonia illhic fieri consueuit, quod eæ, præ cæteris, à Pontificibus delectæ sint, quibus adeundis, pieque inuisendis, Triginta diebus Romani ciues; quindecim exteri & peregrini, iisque continuis vel interpolatis, occupari iubeantur. Solas Basilicas APOSTOLORVM PRINCIPVM, ad Remissionem hanc consequendam, inuisere antiqui præcepti fuit; mox duæ aliæ adiectæ sunt, legittimis de caussis, & Mysticâ Quaternarij Numeri in re sacrâ commendatione. Constantinianam D. SALVATORIS IN LATERANO CLEMENS VI. D. VIRGINIS AD NIVES, in Esquiliis, posteriores Pontifices addi statuerunt. LATERANENSIS Ecclesiæ elogium, quod in Diplomate Clementino legitur, operæpretium fuerit adscribere: cùm ad ipsius dignitatem augendam maximè conducat, & caussas eas exponat, quibus à Pontifice cæteris prælata sit ad piorum Sacras Portas.

hominum frequentationem. Id verò tale est: LATERANENSEM ECCLESIAM, *quam inclytæ recordationis* CONSTANTINVS, *postquam per B.* SILVESTRVM (*sicut per eosdem* APOSTOLOS, DEO *reuelante, cognouit*) *renatus fonte Baptismatis fuerat, & à contagio Lepræ mundatus, in honorem* SALVATORIS *construxisse; quamq; idem* B. SILVESTER, *nouo Sanctificationis, & Chrismationis genere, dedicasse legitur; & in cuius Ecclesiæ parietibus præfati* SALVATORIS *imago depicta primùm toti Populo Rom. visibiliter apparuit, deuotiùs visitanda: quam ex his & aliis, certis & rationalibus caussis, vt ipsa Ecclesia pariter* INDVLGENTIÆ *prædictæ priuilegio decoretur; & deuotus ab eodem* SALVATORE, *qui in præfatis* APOSTOLIS [PETRO & PAVLLO] *mirabilis prædicatur, corũ precibus & meritis Indulgentiæ mereatur percipere largitatẽ; in hoc cẽsuimus venerandam.* Honorifica etiã sunt quæ de eadem Basilicâ apud Petrum Cardinalem Damianum, & Episcopum Portuensem, scribuntur his verbis: *Lateranensis Ecclesia, sicut* SALVATORIS *est insignita vocabulo, qui nimirum est caput omnium electorum; ita Mater, & quidam apex & vertex, omnium per Orbem Ecclesiarum.* Idem in Epistolâ ad Cadaloum, eamdem *Sanctam Sanctorum*, & *Ecclesiam Ecclesiarum* vocat. Vt iure optimo vnà cum Apostolorum Basilicis visitari iussa sit, quo veteri Priuilegio, vnà cum ipsis, omnium, per totum orbem, Ecclesiarum principatum obtinuit. Variis autem, vario tempore, nominibus eamdem appellatam reperimus. Nam & LATERANENSIS dicta, à veteribus fundi possessoribus LATERANIS, quos *egregias* heic *ædes* habuisse

In epist. ad Card. S. R. E.

buiſſe è Satyrico Aquinate notum; & Con-
stantiniana, à conditore Auguſt. heic bapti-
zato; & D. Ioannis, ab eius βαπτιστηρίῳ, biniſ-
que ſacellis SS. Baptistæ & Evangelistæ in Martyrol.
quondam adiunctis; & Baſilica Ivlii, è Baro- ad diē 9. Nou.
nianâ opinione; denique Salvatoris, ab ad-
mirandâ Diuinæ faciei in pariete depictæ, co-
ram Populo vniuerſo, φανερώσει. Vulgò certè D. apparitione.
Ioannis In Laterano nomen poſsidet. Ne-
que id adeò nuper ei datum, aut natum eſſe,
apud Bedam videre eſt, qui in Chronologiâ ad
annum Mundi c. d. cc. lix. hæc ſcribit:
Constantinvs *fecit Romæ, vbi baptizatus eſt, Ba-
ſilicam* B. Ioannis Baptistæ, *quæ appellata eſt*
Constantiniana. *Item Baſilicam* B. Petro *in
Templo Apollinis, necnon &* B. Pavllo, *corpus
vtriuſque ære Cyprio circumdans*. & quæ ibi ſe-
quuntur. Opinio autem Baronij de nomine
Baſilicæ Iuliæ, vereor vt ſatis fida aut firma ſit.
Baptiſtes enim Platina, qui è Veteribus Moni-
mentis priorum Pontificum vitas deſcripſit, in
Bonifacio Primo Baſilicam *Conſtantinianam*
à *Iuliâ* diuerſam ponit: quem, ſi libuerit, vide-
bis. Facit ad Eccleſiæ huius dignitatem eximiū
illud Priuilegium, quo præ omnibus Vrbis &
Orbis Templis dotata eſt; nimirùm Sedem
Epiſcopalem Romani Pontificis, qui Epi-
scoporvm eſt Episcopvs, in eâ collocatam.
Vnde, veteri conſuetudine, ampliſſimo Purpu-
ratorum ordine, & digniſſimo quoque Romanæ
Ciuitatis comitante, electus Pontifex eò deuehi
ſolet, vt illhîc Nouæ Dignitatis inſignia capiat.
Quanti verò Sacræ ſupellectilis theſauri, quanta

Reliquiarum κειμήλια, cùm in hac, tum in reliquis Vrbis Dominæ, ac præsertim Septem illis celebratissimis Ecclesiis contineantur, si quis nosse exactiùs voluerit, ij Scriptores adeundi sunt, qui de Re sacrâ Vrbanâ peculiares commentarios ediderunt.

APOSTOLORVM Basilicæ, PETRI in Vaticano, PAVLLI in viâ quâ Ostiam itur (quarum ex Bedâ memineramus) loca illa sunt, quæ, vt Cassiodorus ait, *videre Vniuersitas appetit*, ROMA *in suis finibus habere promeruit*. Has *Apostolorum* Tropæa Caius vetustissimus Theologus dixit, quòd illhic, de Tyrannide & Superstitione debellatis, velut æterna Victoriæ suæ Monimenta Heroes illi fixissent. Quem imitatus D. Hieronymus ita loquitur in Epistolâ ad Marcellam: *Est ibi* [Romæ] *sancta Ecclesia, sunt Tropæa Apostolorum & Martyrum.* De hac victoriâ etiam pulchrè Historia Apostolica Aratoris:

11. Variar. ep. 2.

Dignaq; materies PETRI PAVLLIQVE *corona*
Cæsareas superare minas, & in arce Tyranni
Pandere iura poli, summumq; in agone Tribunal
Vincere: ne titulos paruus contingeret hostis.

Confessiones olim dictæ, & *Memoriæ*, ac *Martyria Apostolorum*, quod in his Ædibus sacrosancta λείψανα, & venerandos cineres contineret. Ad hos cineres olim, atque hodie, ex vltimis etiam Orbis finibus Votiuæ peregrinationes susceptæ: hosce visitantibus omni æuo magna priuilegia concessa: ad hos Regum ac Principum donaria sumptuosissima trãsmissa: hos Reges ipsi ac Principes deposito in terram diademate proni adorârunt: hisce CONSTANTINVS IMP. duodecim

terræ

terræ cophinos propriis humeris geſtauit: ad hos ter, ſummâ cum religione, Carolvs Magnvs Avg. profectus eſt: hóſce tantâ cum demiſſione coluerunt olim Chriſtiani vniuerſi, vt eos acceſſuri ſupplices in limine procumberent, & oſculo ei impacto ſacrum puluerem delibarent. Hanc inſignem maiorum noſtrorum pietatem nemo meliùs laudabit, quàm qui imitabitur; nemo certiùs cognoſcet, quàm qui nouis exemplis exprimere tentabit. Atque vtinam! vtinam! exprimant, & imitentur permulti, vt hoc Mundi ſenio oſtendamus nondum omnem elanguiſſe Virtutem; & cum ingenti noſtro bono Apostolici vim Patrocinii, quà publicè, quà priuatim, experiamur! Cæterùm Basilicae Vaticanae amplitudinem, magnificentiam, ἀρχιτεκτονικὴν, opulentiam, deſcribere velle non inſtitutæ breuitatis, ſed maximi & longiſſimi Commentarij opus eſſet. Ergo de his (quod olim de Vrbe Carthaginienſi non nemo dixit) *ſilere præſtat, quàm pauca dicere*. Vaticani enim Templi maieſtas vti Ingenia omnia ſuperat, ita etiam ſtili noſtri anguſtiâ maior eſt. Neque immeritò Perſarum Legati, quos ad Pavlvm V. Pont. miſſos Romæ ſpectaui, dixiſſe feruntur: *Non id humanarum manuum, ſed ſummi Architecti* Dei *ſibi opus videri*. Erit tamen fortaſſe aliquis ἄξιος τοῦ πέπλου qui pro dignitate eius facundum calamum ſtringat, & omnia Veterum Ædificia, Templa, Theatra, Amphitheatra, Mauſolæa vni Vaticanæ Magnificentiæ cedere debere, immortalibus Ingenij ſui monimentis, oſtendet. dignus peplo.

Optimo etiam iure à PAVLLO II. & SIXTO IV. Pontificibus illud Templum Supplicationibus adiectum est, quod D. VIRGINI in Esquiliis, prodigiosâ Niue designato Templi loco, dedicatum est: ne Patrocinio Virginis destituerentur, qui VIRGINIS FILIVM eiusque Vicarios APOSTOLOS, ac PRÆCVRSOREM, in suis Templis propitiare studuissent. Hæc est enim vnica, quæ *Refugium Peccatorum, Auxilium* CHRISTIANORVM, *Consolatrix afflictorum, Salus infirmorum, Ianua cæli, Virgo Potens, ac Clemens, Caussa nostræ lætitiæ,* per vniuersum terrarum orbem, veris ac conceptis formulis, cottidiè decantatur. Isto ergo Asylo omnibus patefacto, non parum Sacræ Visitationi dignitatis est additum: Pontificibus ordinem Solenniũ precũ in Ecclesiâ Catholicâ secutis, in quâ priùs CHRISTI DOMINI, vti veri Dei, dein Sacratissimæ VIRGINIS, IOANNIS BAPTISTÆ, & SS. Apostolorum PETRI ac PAVLLI, mox reliquorum Diuorum, ex ordine, nomina recitantur. Hanc quoque Basilicam variè quondam appellatam obseruat Baronius: LIBERII scilicet, à LIBERIO Pont. quem iuxta *Liuiæ macellum*, in V. Vrbis Regione eam condidisse tradunt; SIXTINA, vel SIXTIANA, à SIXTO III. (vt alij malunt) Auctore; AD NIVES, ob Niuium miraculum in summis Augusti caloribus illhîc compertum; AD PRAESEPE, ob pretiosissimũ illud pignus è Sacris Palæstinæ locis in hãc Ædẽ delatum, in quo CHRISTVS infantulus, à Virgine reclinatus mysteriũ Redemptionis nostræ mirabiliter inchoauit. In quas Redẽptoris nostri cunas olim adolescens hoc Epigrammate ludebam:

c. Quemadm. ext. de Pan. & Rem.

In Martyrol. Rom. ad diem 5. Aug.

Semi-

Semiruto in tecto, glacialis mense Decembris,
Quà riget hiberno saucia gutta gelu,
Vilia sidereis implet præsepia membris,
Cui quondam angusta sidera molis erant.
Sidera, sidereusq́; orbis, stupuere deorsum
Labentem, atque oculis vix habuere fidem.
Quid potuit maius? ligno prostratus inani
Ingemit Arctoas plus valuisse niues.
Nata salus ligno: gemino Syria inclyta ligno,
Quæ dederat cunas, & dedit illa crucem.

Inclyta etiam verè & augusta Vrbs Domina tanto ditata thesauro, longeque fortunatior quàm Vrbs mea Natalis GANDAVVM, CAROLI QVINCTI Imperatoris Maximi cunas, prodigij aut miraculi instar, hospitibus ostentare consueta. Hodiè Ædes illa B. MARIAE MAIORIS dicitur, siue ab imagine eius Virginis à D. LVCA depictâ; ibique religiosè adseruatâ; seu, quòd cæteris Parthenicis Templis dignitate ac sanctitate præfulgeat. Pulcherrimâ certè ratione à Pontificibus decretum est; vt populi ex omni Terrarum parte collecti, indictâ, *Quaternarij Numeri* supplicatione, qui religionis plenus, Naturæque vniuersæ est index, ad Pietatis exercitia ardentiùs inflammarentur. Quòd si religionem eius respicimus, Ternarium inprimis & Vnitatem in se continet, Diuinæ Trinitatis Vniusque Diuinitatis certissimum simulacrum: & in Tetrabiblo Euangelicâ, ac τετραγραμμάτῳ Dei nomine mirabiliter consecratus est. Adhæc in quaterno Paradisi flumine, quatuor Animalibus ab Ezechiele conspectis, quatuor Animarum post hanc vitam receptaculis, Gen. c. 2. c. 1.

 toti-

totidemq; CRVCIS SALVTARIS protensis lineis, Mysterium suum explicat. Præterea in Quatuor Animi Virtutibus, quas *Cardinales* vocant, in quatuor IVBILEIS Seculo quoque Centenario redeuntibus,& in quatuor Basilicis sacro durāte tempore visitandis, plurimum dignitatis accepit. Index autem Vniuersi Quaternarius apud Sapientes dicitur, quòd Denarij virtutem, qui

Vniuersi.

τοῦ σύμπαντος Symbolum est,atque adeò Naturæ totius imaginem in se contineat.si enim I.II.III. IIII. Numeros, quibus Quaternarius conflatur, descripseris, eosque ad se inuicē recto ordine collegeris, Denarius exsurget,vt *Quaternarius sit actu* (quemadmodum sapientissimus Philo ait) *Denarius potentiâ*. Porrò cùm Denarius Numerorum omnium è Monade cōpositorum finis, meta,ac cardo sit, atque is à Quaternario virtute comprehendatur:ideò hunc Numerum, Numeri omnium absolutissimi fontem ac radicem,meritò vocaueris. Hinc & Pythagorici τῆς τετράδος cultores mirifici, παγὰν ἀενάου φύσεως, καὶ τοῦ παντὸς ῥίζαν, iure appellant: nimirùm quòd è quatuor elementis omnia composita Naturæ suæ originem ac principia huic debere videantur.Quare eumdem Numerum τὸν πάντα alij dixere, à quatuor, quæ dixi, Naturæ principiis, à quaternis Mundi partibus, totidemque cæli regionibus,ac Ventorum stationibus; vnde multitudinem omnem in magno ac decretorio die olim congregandam,Diuina etiam monimenta testantur. Addere liceret de sacro Quaternarij cubo, eiusque inter Tetragôna antiquitate ac maiestate; de variis eius figuris ac Mysteriis; de eius

lib. de Plantat. Noe.

In Aur. Carm. Pythag.
Quaternionis Fontem Naturæ semper fluentis, & Vniuersi radicem.
Omnem.

eius in re Musicâ proportione; de eius in corpore & animo humanis vi ac potestate; aliaque quamplurima quæ in Numero isto admirando mirabilia ac pænè diuina continentur; sed hæc Pythagoricæ Sapientiæ interpretibus, ac Theorices Arithmeticæ Scriptoribus pensiculatiùs examinanda relinquam. Mihi impræsentiarum suffecerit ostendisse, Numerum illum ritè atque ordine Supplicationi omnium Nationum in Vrbe præscriptum, qui Naturæ Vniuersæ imaginem gerit, rebusque Diuinis celebrandis à Diuinâ Sapientiâ, inter primos, est commendatus.

CAPVT XX.

Sacræ Vrbis Stationes. *Stantes olim orässe Christianos. Septem Ecclesiæ. Martyrum Sepulchra: ad ea orare antiquissimum ac piissimum esse. INDVLGENTIARVM vsum hinc maximè propagatum videri.* Eunapij *Sardiani*, Iuliani *Parabatæ*, *&*. Maximi *Madaurensis in Christianam Pietatem calumniæ.*



Tationvm (vt præmisi) in Vrbe Româ antiquissima origo est; quas alij ad Leonem I. Pont. alij ad Gregorivm referre malunt: dubio ferè semper rerum vetustissimarum principio. Iacobus Seuertius, è senten- c.20. de Mores. Sect. 10.

ſententiã nobilium Theologorũ, nomen à GREGORIO, & publicationem de ſcripto eſſe ait; inſtitutum à LEONE. Nomen certè *Stationum* apud Chriſtianos planè antiquum eſt, vt vel ex vno Tertulliano liquet; res ipſa LEONE & GREGORIO Papis fortaſsè antiquior. A re militari deſumptum vocabulum Onuphrius putat, eiuſque imitatione factum vt Pontifices ſtatis quibuſdam diebus, maximè Ieiuniorum ac Feſtis; ad Baſilicas Martyrum accederent, ibique in concionibus habendis, ac λειτουργείαις, ſtantem populum detinerent. Stantes autẽ orauiſſe tunc Chriſtianos, cùm ex variis Tertulliani locis, qui id *de geniculis adorare* dicit; tum ex iſto D. Cypriani apparet, *Sermone de Oratione Domini: Quãdo autem ſtamus ad orationem; fratres dilectiſsimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus.* Et ex altero ibidem: *Cogitemus nos in conſpectu Dei ſtare.* Quod tamen non perpetuò ſeruatum, ſed Dominicis tantùm diebus, totoque eo tempore, quod Paſchæ & Pentecoſtes ſolennia interiacet, à doctiſsimo viro Onuphrio Panuinio itidem obſeruatum eſt. Atque ita cautum videmus Decreto ALEXANDRI III. Pont. ſic tamen vt *in aliis præcipuis Feſtiuitatibus* idem quoque obſeruandum præcipiat. Fuiſſe etiam huiuſmodi voce militari, quæ SABA eſt, apud Hebræos dictas *cuſtodias*, ſiue *peruigilia*, à Leuitis alioque populo facta ad Tabernaculum Teſtimonij, & in Templo Domini poſteà ſeruata, Balleſterus Valentinus annotauit: vnde fortè Eccleſia nominis exemplum mutuata. Niſi fortè altiùs hanc vocem repetere libet à Stationibus nimirùm Angelorum,

lib. de Station.

c. Quoniam, de Feriis.

De Onomatographia, dictione SABBAOTH

lorum, in conſpectu Domini aſsiſtentium & miniſtrantium, quæ voce Hebraicâ SABAOTH exprimuntur; voce, inquam, illâ illuſtri & nobili, ac Diuinis cognomentis ſingulariter adſcriptâ. Ex illâ Vetuſtatis origine ſolennes ac ſtatæ in Vrbe Româ ad Diuorum ac Martyrum templa Supplicationes eo nomine cenſentur: illæ maximè, quas ſacro Quadrageſimæ tempore ſummâ cum pietate P.R. in hanc vſque diem obire cōſueuit. Quin totius anni tempore quà indigenis, quà peregrinis, Septenarum Stationum in totidem Eccleſiis περίοδος religiosè circūitur: quòd is numerus Deo acceptus ſit, & celebriora Vrbis Templa eo ambitu comprehendantur. Sunt verò iſta vulgò notiſsima: S. SALVATORIS *in Laterano*, S. CRVCIS *in Ieruſalem*, S. MARIÆ MAIORIS, S. PETRI *in Vaticano*, S. PAVLLI *viâ Oſtienſi*, S. LAVRENTII *in agro Verano*, SS. FABIANI & SEBASTIANI *ad Catacumbas*. Quæ omnes *Stationes*, quà Veteres, quà Nouæ, ab eo Ritu fluxiſſe videntur, quo vetuſtiſsimi Chriſtiani ad Martyrum aut Apoſtolorum ſepulcra prouoluti reuerentiam iis impendere, & orationes illhic effundere, conſueuerant. Quâ in re antiquiſsimum exemplum eſt HIPPOLYTI Epiſcopi Portuenſis, anteà Arabiæ Metropolitæ, Clementis Alexandrini diſcipuli; qui eius perſuaſu Romam veniens Alexandri Seueri principatu, ad Apoſtolicos Tumulos ſupplex iacuit; mox Triumphalem Martyrij coronam ad oſtia Tiberina cum ſociis duobus aſſecutus. Eumdem Pietatis ſuæ fructum retulerunt nobiliſsimi coniuges Perſæ MARIVS & MARTHA, cum AVDI-

Euſeb. lib. 6. Hiſtor. Eccl. c. 16.

Niceph. lib. 5. c. 15.

Baron. in Martyr.

Martyrol. Rom. 14. Ian. Surius & alij.

FACE

FACE & HABACVM liberis eorum, qui temporibus Claudij posterioris eadem de causſâ Romam adierũt. Retulit pariter piiſsima illa ZOE, vxor NICOSTRATI Martyris, quæ dum ad Confeſsionem B. PETRI in Vaticano oraret, ſub Diocletiano Imp. à perſecutoribus tenta, & grauiſsimis cruciatibus affecta, puriſsimum Deo ſpiritum reddidit. Si quis verò eos enumerare voluerit qui, omni æuo ac tempore, dignitate vel ſanctitate eximij, præſertim poſt CONSTANTINI MAGNI imperium, idipſum præſtiterint; is eadem operâ numerare tentet,

Martyr. Rom. 5. Iulij.

Ouid.

—— quot in æthere ſidera lucent;
Paruaq; quot ſiccus corpora puluis habet.

Manil.

Vel, —— *quot eant ſemper naſcẽtes æquore fluctus,*
Et dilapſa cadant foliorum millia ſiluis.

Eam religionem impiè noſtris hominibus obiecit Eunapius, Sophiſta Sardianus, qui Alexandrinis exprobrans Serapæi ſui demolitionem, & Deorum patriorum contemptum, MARTYRIBVS nihilominùs cultum eximium adhibuiſſe ſcribit, μολυνομένους πρὸς τοῖς τάφοις, quòd nimirum πρέσβεις τῶν αἰτήσεων παρὰ τῶν θεῶν ſeſe ipſos habituros ſperarent. Obiecit etiam Maximus, Grammaticus Madaurenſis, ciues ſuos item Chriſtianos irridens quòd, ſpretis maiorum cærimoniis ac Templis, NAMPHANIONIS, *quem Archimartyrem vocabant, & ſociorum buſta* frequentarent. cui eâ prudentiâ, facundiâ, ac religione à D. Auguſtino, gentili ſuo, reſponſum eſt, vt meritò *Stulti* nomen ipſe tulerit, qui id Sapientiſsimis veræ Religionis cultoribus ſacrilegâ temeritate affin-

ſordidatos ad eorum ſepulchra. interpretes orationum apud Deos.

ep. 46.

affingere est ausus. Obiecerat ante illos, Porphyrij secutus exemplū, impius parabates Imp. Iulianus, cuius hæc verba leguntur apud D. Cyrillum: *Omnia Monimenta* [MARTYRVM] *Christiani impleſtis: quamquam vobis numquam dictum ſit aduolui ſepulcris, & ea amplecti debere.* Quo in loco, more ſuo ac deſertorum omnium, probare multis contendit, nuſquam eum Ritum Diuinæ Scripturę teſtimoniis, aut mandato, inculcatum. quod venenum ſi quis hauſerit, ad antidotum confugiat in D. Cyrilli Apologiâ piis omnibus propinatum. Neque mirandum ſi (quod profani exprobrârunt) aduoluerentur his ſepulchris, & amplecterētur ea Chriſtiani, cùm ſacra Martyrum λείψανα ſub Altari plerumque ſepulta & religionem ipſi darent, & ab eo acciperent. Qui Ritus è Concilio Africano diſertè probatur Can. L. quo *Altaria illa, vel Memoriæ, in quibus nullæ Martyrum Reliquiæ eſſent, ab Epiſcopis euerti iubentur.* Quod non de hodiernâ conſuetudine, quæ Altare aliquod ſine ſacro pignore dedicari non ſinit; ſed antiquâ illâ MARTYRVM corpora ſub Altari recondendi *a* Baronius & Panuinius *b* accipiendum putant: vnde poſteà magnificentiſsima Templa in SS. MARTYRVM memoriam Altaribus eiuſmodi ſuperinducere moris fuit. Quàm verò iuſtè ac legittimè MARTYRES honorarent, quemue fructum ex huiuſmodi SS. cinerum προσκυνήσει Chriſtiani referrent, elegantibus verbis & ardenti pietate D. Ambroſius expreſſit: *Honoro in carne Martyris exceptas pro* CHRISTI *nomine cicatrices: honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro per confeſſionem*

Lib. 6. & 10. contra Iulian.

a in prolegom. ad Martyr. Rom. b Lib. de Cœmit. c. 6.

veneratione.

Serm. de SS. Naz. & Celſo.

Domini

Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina Aeternitatis: honoro corpus quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud Fideles quod reuerentur & dæmones? quod afflixerunt in supplicio, tamen glorificant in Sepulchro? Honoro itaque corpus quod CHRISTVS *honorauit in gladio, quod cum* CHRISTO *regnabit in cælo.* Cui solutæ orationis testimonio aliud strictæ adiungam ex Prudentij, qui D. Ambrosio σύγχρονος fuit, Libro περὶ στεφάνων:

Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant, obsecrantes voce, votis, murmure.
Exteri, necnon & Orbis huc colonus aduenit:
Fama nā terras in omneis præcucurrit proditrix,
Heic Patronos esse Mundi quos rogantes ambiant.
Nemo puras heic rogādo frustra cōgessit preces:
Lætus hinc tersis reuertit supplicator fletibus,
Omne, quod iustum poposcit, impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragantiū est,
Non sinant inane vt vllus voce murmur fuderit:
Audiunt, statimq; ad aureis Regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt,
Supplicum caussas petitis quæ medelis irrigant;
Nil suis bonis negauit CHRISTVS *vmquā testibus.*

Hemiterium & Chelidonium. Mart. Calagurritanos.

Illud verò pessimè Christiani nominis hostes habuit quòd Templa ac Memoriæ Martyrum nomini passim erigerentur; Fana ac Delubra Diis erepta ipsis consecrarentur; quòd ad eorum Tumulos, neglectis Idolis, vota funderentur; Relliquiæ ipsorum in honore haberentur; Feriæ ac Festi dies, eorum Triumphis celebrādis, indicerentur. Quos honores cùm ipsi Diis suis,

ſuis, vt notum eſt, exhiberent; eos mortalibus, & quidem infamiâ ſupplicij notatis (vt ſacrilegè calumniabantur) impendi nullá ratione ferebant. Quorum verè impiam Pietatem plurimi Chriſtianæ Religionis propugnatores, ac præſertim Theodoretus Lib. VIII. *Euangelicæ Veritatis*, quem *de Martyribus* inſcripſit, facundiſſimis ac neruoſiſſimis ſcriptis, retuderunt & confutârunt. Quantò magis autem illi, & eorum æmuli Sectarij, debitum ſacris pignoribus honorem minuere, & ſubſannando explodere conati; tantò feruentiùs ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος, στῦλος τῆς ἀληθείας, *Eccleſia Dei Viuentis, columna Veritatis.* augere illum nouis ornamentis, & Fidelibus populis ſemper commendare conata. Quamobrem Ritum illum ſeruans quo Martyres, in mortali adhuc vitâ degentes, *Pacem* Delinquétibus *vide ſup. c. xi* exorare conſueuerant; eadem Priuilegia Triumphali Memoriæ eſſe voluit, quæ fuerant Vinculis ac Paſſioni. Theſauros igitur Indvlgentiarvm illhîc orantibus conceſſit: quos ille lucraretur, qui per Merita illhîc ſitorum, at iam in cælo regnantium, Deum inuocans, ſibi ac Populo Chriſtiano ſalutaria precaretur. *Si enim* (inquit lampas illa Eccleſiæ Hieronymus) *Apoſtoli & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti; quantò magis poſt victorias, coronas, & triumphos?* *adu. Vigilant.* Cuiuſmodi religioſiſſimis atque antiquiſſimis Divorvm Martyrvm Memoriis cùm Vrbs Sacra, velut cælum ſtellis, colluceat paſſim atque reſplendeat; dignum ſe Chriſtiano nomine, & legitimum auitæ pietatis hæredem oſtendet, qui Quaternis Baſilicis, quas diximus,

ſalutatis, curſum huc ſubinde reflectet: veniam delictorum per eorum patrocinia, & *Sanctificationis communionem aliquam*, per Sanctorum corporum venerationem, adepturus.

Baſil. in Pſal. 115.

CAPVT XXI.

Quid RELIQVIAE apud profanos Scriptores, quid apud Christianos. Sacrarum Reliquiarum *cultum, pium, vtilem, ac vetuſtum eſſe. Vrbis ROMAE in his poſſidendis Felicitas.*



Icere incepimus de RELIQVIIS; pertexamus nonnihil hanc telam, & eò impenſiùs, quòd Anno Romano Solenni Sacri illarum Theſauri ſpectandi proponantur, adeoque ex earum cultu ſacra omnis Peregrinatio, & Condonationum largitas, profecta videatur. Et verò quod ad nomen ipſum attinet, id profanæ Antiquitati incognitum non eſt, immò inde ad vera noſtra Sacra tranſlatum. Vnde legimus apud Vlpianum I.C. *Si in eo monimento, quod imperfectum eſſe dicitur, Relliquiæ hominis conditæ ſunt, nihil impedit quò minùs id perficiatur.* Et apud Plinium Iuniorem: *Petentibus quibuſdam vt Relliquias ſuorum, ſecundum exemplum Proceſs. transferre permitterem.* Item in veteri Inſcriptione, quam fide Iani Gruteri adſcribo:

L. fin. ff. de mort. inf.

in epiſt. ad Traian.

D. M.

D. M.
M. VLPIO. AVG. LIB.
HERMIÆ
PROC. AVRARIARVM.
CVIVS. RELIQVIÆ. EX
INDVLGENTIA. AVG. N.
ROMAN. TRANSLATÆ. SVNT

& ſic alibi pluries. Nomine verò *Relliquiarum* apud illos cadauer, aut corpus defuncti integrũ, non veniebat; ſed alicuius peregrè mortui oſſa vel cineres aliò transportati. Atque ideò apud Florentinum I.C. *Corpus* & *Reliquiæ* distinctim ponuntur. Corpus enim integrũ condi dicebatur, vbi cremabatur. quod valdè eruditè, vt plura alia ad hanc rem facientia, in libris *de Iure* a *Manium ac* b *Veteri Pontificio*, Gutherius obſeruauit. Proprio igitur ac ſolenni vocabulo vſus Ælius Spartianus in Hadriano, cùm ſic de ipſo pronunciat: *Poſt hoc Antiochiâ digreſſus eſt ad inſpiciendas Reliquias Traiani, quas Tatianus, Plotina, & Mattidia ſecum deferebant.* Peregrè enim mortuum eſſe Traianum in Orientis expeditione nemo ignorat. Apud noſtræ autem Religionis homines & Diui alicuius corpus, & pars inde ſumpta, & multa alia corpori extranea, attactu tamen eius ſacrata, *Relliquiarum* nomine cenſentur. Cultum verò, qui eiuſmodi Reliquiis adhibetur, in Veteri Lege Moſes ſuo exemplo firmauit, cùm IOSEPHI oſſa ex Ægypto in terram Chanaan, velut ſalutis pignus, honorificè ſecum vexit. Immò Deus ipſe, fons omnis pietatis, vt ſibi acceptum miraculo ſanxit, dum Eliæ pallio Iordanem diuiſit, & attactis Eliſæi oſſibus

a lib. 3.
b lib. 2.
Exodi 13. Clem. in Conſt. Apoſt.
4. Reg 2. & 13

bus vitam mortuo reſtaurauit. Neque minùs
Matth. 14. miranda ſunt quæ de ægrotis per fimbriam ve-
ſtis Dominicæ curatis, de vmbrâ PETRI
Actor. 5. & 19. languentibus ſalutari, de ſudariolis ac ſemi-
cinctiis Apoſtolorum ἀλεξικάκοις, ipſis Ec-
cleſiæ initiis, contigiſſe Sacræ Litteræ fi-
dem faciunt. Gliſcente poſteà Perſecutionum
tempeſtate, & ſacrorum pignorum augeſcente
numero, Sanctorum Martyrum non modò Me-
Greg. Nazianz. Carm. Iamb. 18. Eucher. Lugd. de SS. [illegible] & Alex. Baron. ad an. 362. moriæ, Altaria, Templa, Paſſionum inſtrumen-
ta, aut Corporum particulæ; verùm panniculi, &
vela qui ea contigerant, *Brandea* dicta: oleum è
lampadibus, quæ ibidem arſerant, ſumptum, aut
ex ipſis Sepulcris mirabiliter profluens; flores,
herbæ, puluiſculi inde collecti: Imagines quo-
que eorum ac Statuæ, veneratione cultæ, admi-
randa CHRISTI Fidelibus beneficia præſtite-
runt. Neque his poſtremis Eccleſiæ Sanctæ
temporibus eadem in Beatorum hominum Mo-
nimentis vel Miracula vel Benefacta deſunt:
honorante immortali Numine ſeipſum in San-
ctis ſuis, & Eccleſiæ ſuæ Oecumenicæ, quæ ſola
Sanctorum communionem continet, dignitatem
atque excellentiam perpetuis teſtimoniis com-
probante. Quibus rebus perſpectis Maiores no-
ſtri ſacra huiuſmodi κειμήλια ſtudioſè colligere,
& collecta omni honoris genere (eo tamen, qui
ſoli Deo debetur, excepto) afficere cœperunt.
Quod tamen, ac ſi feciſſent, impij olim homi-
nes Porphyrius, Eutactus, Iulianus, Eunapius,
Eunomius, Vigilantius, & eorum aſſeclæ noſtri
temporis Sectarij, exprobrare non ſunt veriti.
Quomodo verò, cultu λατρείας in omnibus ſem-
per

per saluo, Dei Amicorum memoriam colamus, ac Reliquias veneremur, luculentè olim ostenderunt Augustinus Lib. VIII. *de Ciuitate Dei cap. XXVII. & eiusdem operis Lib. XXII. c. X. & contra Faustum Manichæum*. Damascenus Lib. IV. *Fidei Orthodoxæ cap. XVI.* Hieronymus *Epistolâ ad Riparium, & contra Vigilantium*. Ambrosius *in Epist. ad Felicem.* Theodoretus Lib. VIII. *Euang. Verit.* & recentiores pænè innumeri qui pro domo Dei, & Sanctis eius, murum se aduersus impurissimorum hominum tela opposuerunt. De quo hominum genere benè admodum à D. Hieronymo, Veritatis Achille, dictum est: *adu. Vigilant.* *Hoc autem* [Reliquiarum scilicet Sacrarum cultum abiicere] *non tam illi faciunt, quàm habitantes in iis Dæmones, fortitudinem & flagella sancti cineris non ferentes*. Oderunt namque membra quod caput detestatur; & phreneticorum instar in Medicos insaniunt, veram τῆς ψυχῆς ἰατρείαν, *animæ medicinam.* Sanctorum, inquam, tutelam exsecrantes, & respuentes. Interim Te, ô Vrbivm Regina, beatissimam ac fortunatissimam prædicare fas est, quæ non, vt quondã, nescio quas nugas, aut fabulosas quisquilias, *Ancilia, Palladis icunculam, Priami sceptrum, Acum Cybelles, Martis galeam, Iunonis clypeum, Sibyllæ folia*, & his similia impiæ superstitionis asseruas monimenta; sed Thesauris incomparabilibus veræ Religionis ditata, Iesv Christi, Deorvm Dei, Sacratissimae Virginis, Principvm Apostolorvm Petri ac Pavlli, Diuorumque innumerabilium sacrosancta λείψανα, Imperij Tui pignora, hospitibus ostentas: *Latiùs nunc regnās*

Seru. in 7. Aen. *Dio. lib. 43. 1. Obs.*

Leo Magn. Ser. de App.

Religione Diuinâ, quàm olim præsidebas dominatione terrenâ: Principatu etiam tantò nobiliori, quantò Diuina terrenis, æterna mortalibus præcellunt. Beati etiam, ac ter beati illi, qui ab *Ecclesiâ malignantium*, & *à linguâ coinquinatâ, ac verbo mendacij* separati, debitum Deo cultum in cœtu Fidelium exhibent: nec minus honore congruo ac debito afficiunt illos, *quos Rex ille Magnus honorare voluerit*. cuius Pietatis fructum eximium referunt etiamnum in hac vitâ, & posteà Diuorum suffragiis vberrimum consequentur *in concilio iustorum* æterno, *& congregatione*.

Psalm. 25. Eccl. 51. Esther cap. 6. Psalm. 110.

CAPVT XXII.

Pompa Supplicationum *in Vrbe Sacrâ: eam Anno Seculari variam ac magnificam esse. Omnium Nationum in eâ re studia, ac præcipuè* Italicæ *apparere. Ritus Vetustas, ac Sanctitas.*



Icut *Stationes* militarium in castris excubiarum, ita *Processiones*, vel *Supplicationes* Christianæ, agminis in hostem & pugnam prodeuntis; aut pompæ eo deuicto triumphantis, similitudinem quamdam habent. Quemadmodum enim

— *ingenti bello cùm longa cohortes*
Explicuit legio, & campo stetit agmen aperto.

2. Georgic.

signa & vexilla proferuntur, Tubæ ac fistulæ audiun-

audiuntur, ordinumque militarium discreta agmina suis quæque numeris incedunt, sub vnius summi Imperatoris ductu atque auspicio; ita in sacrâ militiâ

Crux longis solido ex auro præfertur in hastis; Pruden.

adsunt Vexilla, siue Labara, victoriæ de Satanâ per Christvm partæ symbola: adsunt preces, hymni, cantica, quibus velut classicum inflatur, aut epinicion decantatur: adsunt agmina Fidelium

——— *paribus numeris dimensa viarum*

per Ecclesiæ Tribunos & Campidoctores, Antistites, inquam, & Sacerdotes in arenam producta, *aduersus Principes tenebrarum* ac *Spiritalia nequitiæ* generosè certatura, interdum cinere ac cilicio contecta, interdum flagellis contusa ac nudo pede prodeuntia, interdum pio gemitu singultientia, ac suaui lachrymarũ imbre perfusa: nonnumquam festiuis Symphoniarum modulis, lætisque facibus, ac regio pompæ apparatu, detersâ velut mœroris nube gaudentia, ac Deo suo *in lætitia & iubilatione seruientia*. Horum Spectaculorum vti feracissimus Annus Sacer est, ita in vnâ Vrbe tunc videas collectum quicquid vsquam vel maiestatis, vel pietatis, in hac re spectari potest. Omnium enim gentium homines illhic congregati, suo quique more ac ritu, quantum fas est, sacram obire pompam, & Diuorum Basilicas ac Stationes, non dicam centuriatim, sed multorum millium numero circumire consueuerunt. Ex vnâ Italiâ, vicinisque Vrbi opidis ac populis, tot piorum hominum, sub Sacræ Crucis ductu, ac φρατριῶν cuius-

Ephes. 6.

Psalm. 99.

cuiusque vel Sodalitij insigni, manipuli in Vrbem concurrunt, vt ipsa sola quæ, elogio Pli- *Lib. 3. c. 5. Hist. Nat.* niano, *vna cunctarum gentium in toto orbe patria est;* solenni tanto ornando abundè sufficere, & nihil externum requirere videatur. Illhic Patientis CHRISTI lugubria Mysteria, illhic Virginis parentis admiranda opera, illhic Apostolorum & Martyrum laureata Tropæa, Diuorumque ac beatorum hominum prodigia, quà pretiosis Labarorum vexillis depicta, quà aureis argenteisque Thensis ac Ferculis circumlata, gratâ sui nouitate oculos pascunt, animosque suauissimo pietatis sensu perfundunt. Vt iure meritò de Romanâ hac magnificentiâ veterem LVDORVM SECVLARIVM formulam, sed *Sueton. Claud. c. 20.* obiter immutatam, vsurpare liceat. *Ea esse Spectacula quæ nec alibi viderint homines, nec alibi sint visuri.* Abeant tamen hinc cum impudicitiis suis Theatra, cum Venationibus ac Scenicis Circensia, cum Gladiatoriâ suâ lanienâ Amphitheatrales arenæ; nihil hîc (vt cum Isidoro lo- *Lib. 18. Orig.* quar) *Satanæ Spiritus occupauerunt*, Dei & Angelorum eius ista Spectacula sunt, magnificentiâ & apparatu veteribus pompis fortasse paria, pietate certè ac religione immensùm præferenda. Iure etiam de promiscuæ multitudinis ad Sacra Romana confluxu illud Doctoris Strido- *Hieronym. in ep. ad Marc.* niensis vsurpem: *Cuncta populorum examina concurrunt ad hæc loca, & diuersarum nobis Virtutum specimen ostendunt. Vox quidem dissona, sed vna religio: tot penè psallentium chori, quot gentium diuersitates.* Dicam ego, *tot innocentium chori, quot gentium diuersitates.* Omnis enim illa multitudo

ex

ex toto terrarum orbe collecta, quatenus communioni Ecclesiae Catholicae adhæret, in ſanguine Agni mundata, & per Eccleſiæ Sacramenta, ac Remiſſionis gratiam, à delictis expiata, cæleſtis Ieruſalem, in quâ immaculati Angelorum ac Beatorum, Deo in perpetuum concinentium chori, Typum repræſentat. Adiunge Te quiſquis vales, quiſquis potes: *Beatus enim populus qui ſcit iubilationem*: qui (vt alicubi Origenes ait) *ore & animo concordi Dei laudes annunciat, eiq́; benedicit in exultatione.* Hac certè concordiâ multum profici ad Diuinam Miſericordiam implorandam, eiuſque iram auertendam multis ab omni Antiquitate exemplis demonſtratum eſt: quæ Stephanus Durantus, Præſes Toloſanus libro *de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ* nuper euulgauit. Antiquitatem verò eius Ritus ac nominis, ſi quis ignoraret, idem Scriptor itidem aſſeruit ex Tertulliano Lib. II. *ad Vxorem: Vt ſi Statio eſt, maritus* [infidelis] *de die conducat ad balnea: ſi ieiunia obſeruanda ſunt, maritus eadem die conuiuia exerceat: ſi procedendum erit, nuſquam magis familiæ occupatio adueniat.* Quo in loco tres pulcherrimi & vetuſtiſſimi Eccleſiæ Ritus exprimuntur *Stationes, Ieiunia, Proceſſiones.* Atque ita locum iſtum capiendum Pamelius & Rhenanus antè monuerunt. clarior tamen fortè fiet vnius litterulæ mutatione, ſi legamus, *Numquam magis f. o. a.* Idem Tertullianus iterùm *Lib. de Præſcript. adu. Hæreſ. Sit modeſta Proceſſio.* Et D. Hieronymus *in Epiſtolâ ad Euſtochium: Martyres tibi quærantur in cubiculo, numquam tibi deerit cauſſa procedendi.*

Pſalm. 88.

in c. 6. Ioſue.

Lib. 2. c. 10.

Eius item Ritus *Concilium Loadicenum cap. XVII. D. Ambrosius Serm. VIII. D. Augustinus lib. XX. de Ciuit. Dei cap. VIII. Acta Gregorij Magni Pontif. Sidonius in Epistolâ ad Claudianum Mamertum*, & alij quamplurimi disertè mentionem fecere.

CAPVT XXIII.

Vti ROMA omnium Gentium Mater, ita & ROMANA ECCLESIA. Anno Solenni id maximè apparere. Orbis Principatus quare olim hodieq; hic positus.

Orbis compendium.



VRBS DOMINA meritò τῆς οἰκουμένης ἐπιτομὴ à Polemone Sophistâ quondam appellata, à M. Tullio, Modestino I.C. aliisque *communis Patria* dicta, benigno ac blando sinu omnium Nationum populos ad se venientes semper excepit ac fouit, nemini nouerca, omnibus æqua nutrix & parens, iis etiam quos hostes paullo antè habuerat Ciuitatis suæ iure benignissimè communicato. Quare iustissimè à Rutilio Numatiano prædicatur isto Elogio:

In Itinerario.

Fecisti Patriam diuersis gentibus vnam,
Profuit iniustis Te dominante capi:
Dumq; offers victis proprij consortia iuris
Vrbem fecisti quod prius Orbis erat,

Et à suauissimo Poëtâ Claudiano, in *Panegyri* ad Stiliconem:

Hæc est in gremium victos quæ sola recepit
Matris non Dominæ ritu, ciuesq; vocauit
Quos domuit, nexuq; pio longinqua reuinxit.
Huius pacificis debemus moribus omnes
Quòd veluti patriis regionibus vtitur hospes,
Quòd sedem mutare licet, quòd cernere Thulen
Rursus, & horrendos quondam penetrare recessus.
Quòd bibimus passim Rhodanum, potamus Oronē,
Quòd cuncti gens vna sumus.

Sanè quemadmodum magnus ille terrarum Oceanus omnes fluuiorum ac fontium origines ad se trahit, maior tamen non fit; ita VRBS ROMA, gentium Parens ac Victrix, amplitudine suâ immensâ, cùm vniuerso Orbi ciuitatis commercia, ac Legum suarum iura, morumque cultum, esset impertita; vix augeri inde vel minui Maiestatem suam sensit. Orbis namque simulacrum in se complexa, omniumque Gentium hominibus infessa, Imperij tanti capax fuit, nullis Terrarum limitibus circumscripti. De hac promiscuâ & innumerâ Antiquæ Vrbis multitudine præclara Scriptorum Veterum testimonia sunt: illud inprimis Senecæ Sapientis *in Consolatione ad Elbiam: Adspice hanc frequentiam, cui vix Vrbis immensa tecta sufficiunt; maxima pars illa turba Patriâ caret, ex Municipijs & Colonijs suis, ex toto denique terrarum Orbe confluxerunt.* illud quoque Aristidis Sophistæ *in Encomio Vrbis*, vt Carteromachus vertit: *Quòd verò suis finibus, regionibusq; ciuitas quæpiam est, idipsum est* ROMA *vniuerso Orbi, quasi communis Vrbs Prouinciæ*

uincia totius. Nec minùs magnificè quàm verè, de eadem Vrbis multitudine, Athenæus: Ἐπιλείποι δ' ἄν γε οὐχ ἡμέρα μία, ἐξαριθμούμενον τὰς ἐν τῇ ΡΩΜΑΙΩΝ οὐρανοπόλει ἀριθμουμένας πόλεις. ἀλλὰ πᾶσαι αἱ κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν ἀριθμούμεναι διὰ τὸ πλῆθος. Καὶ γὰρ ὅλα ἔθνη ἀθρόως αὐτόθι συνῴκισαι, ὡς τὸ Καππαδοκῶν, καὶ Σκυθῶν, καὶ Ποντικῶν, καὶ ἄλλων πλειόνων. Quæ Latinè ſic reddidit Dalechampius: *Recenſere me conantem quot opida Vrbis cæleſtis* ROMAE *ambitus contineat, ob eorum multitudinem non vnica tantum dies defecerit, ſed quotquot annum conficiunt. Quandoquidem in eâ Vrbe gentes etiam totæ habitant, vt Cappadoces, Scythæ, Ponti nationes, & aliæ complures.* Quo in loco ne cuiquam malâ fide verſatus videar, ſignificandum duxi in his verbis: ἐν τῇ Ρωμαίων οὐρανοπόλει Ρώμῃ, nomen ῥώμης à me expunctum, quod ab aliquo gloſſas ſcribente intruſum videbatur: vt cordatiori etiam cuique ſic viſum iri, nullatenùs dubito. Magnificum verò illud ἐπιφώνημα quod ab Athenæo verbis ſuprà dictis ſubiungitur: ἔτοι ὢν πάντες ὁ σύμπας δῆμος τῆς οἰκουμένης. *Omnes igitur iſti omnis terræ habitabilis multitudo eſt.* Lucanus etiam egregiè, more ſuo, de tantâ Vrbis multitudine:

7. Pharſal. *—— Generis quò turba redacta eſt*
Humani? toto populi qui naſcimur Orbe
Nec muros implere viris, nec poſſumus agros:
VRBS NOS VNA CAPIT.

Reginam Vrbem. Idem alibi τὴν βασιλεύουσαν πόλιν dicit,
—— populis, victiſq; frequentem
Gentibus, & generis, coëat ſi turba, capacem
Humani.

Cauſſæ

Cauſſæ tanti in Vrbem concurſus, præter Imperij diffuſam apud omnes reuerentiam, iſtæ præſertim à Scriptoribus adferuntur: Neceſſitas officij publici, Honorum aſſequendorum ſpes, Legatio ſuſcepta, Liberalium ſtudiorum cultus, Induſtriæ aut Ingenij fiducia, latam illhîc oſtendendæ Virtuti nacta materiam, Vrbis ſplendor, luxus, opulentia, Spectacula, ciuium & Principum virorum Humanitas, olim quoque Romano cælo velut diuinitùs infuſa, quam qui guſtâſſent velut *Lotophagi* in Vrbe fixi remanebant; aliæque res, prout varia hominum ſtudia aut ingenia fuerunt. Nihil tamen æquè, (vt humanum genus curioſum, & voluptatum eſt auidum) multitudinem Vrbanam adauxit, quàm Spectaculorum, aut Solenniorum, ex quauis cauſſâ indictorum, frequentia & magnificentia. Ouidius id indicat vbi de Triumpho Cæſ. Germanici:

Seneca Cõſol. ad Eluiam. Iuuen. Sat. 3. Ammian. lib. 19. & alij.

2. de Ponto.

Gratia, Fama, tibi, per quam ſpectata Triumphi
Incluſo medijs eſt mihi pompa Getis:
Indice te didici, nuper viſenda coiſſe
Innumeras gentes ad Ducis ora ſui:
Quæq́, capit vaſtis immenſum mœnibus Orbem,
Hoſpitiis ROMAM *vix habuiſſe locum.*

Suetonius etiam de Ludis Cæſarianis capite, vt vulgò partiuntur, XXXVIII. ſic habet: *Ad quæ omnia Spectacula tantum vndique confluxit hominum, vt plerique aduenæ, aut inter vicos, aut inter vias, tabernaculis poſitis, manerent: ac ſæpè præ turbâ eliſi exanimatiq́,: inter quos duo Senatores.* Ammianus Marcellinus de CONSTANTII CAES. in Vrbem ingreſſu: *Inde cùm ſe vertiſſet ad plebem,*

Lib. 16.

bem, stupebat quâ celeritate omne, quod vbique est, hominum genus confluxerit Romam. Turgidus quidem ille Scriptor interdum, & ὑπερβολικὸς, fateor; sed numquid hisce paria ex Athenæo, Lucano, Ouidio. anteà attulimus? De multitudine ad FLAVIORVM CAESARVM Spectacula confluente notissima sunt quæ *Statius Papinius in Siluis*, *Martialis in Epigrammatum Præludiis*, *Iuuenalis Sat. III.* atque alij illorum temporum Scriptores prodiderunt. Ea certè tam prodigiosa fuit, vt Martialis velut attonitus exclamauerit:

Quæ tam seposita est, quæ gens tam barbara,
CAESAR,
Ex quâ spectator non sit in Vrbe tuâ?
Venit ab Orpheo cultor Rhodopeius Hæmo,
Venit & epoto Sarmata pastus equo:
Et qui prima bibit deprensi flumina Nili,
Et quem supremæ Tethyos vnda ferit:
Festinauit Arabs, festinauere Sabæi,
Et Cilices nimbis hic maduere suis:
Crinibus in nodum tortis venere Sicambri,
Atque aliter tortis crinibus Aethiopes:
Vox diuersa sonat, populorum vox tamen vna est,
Cùm verus Patriæ diceris esse Pater.

Quod elegantissimum Epigramma ego quondam Romæ positus, perspectis Longinquarum Gentium ad PAVLLVM V. PONT. MAX. Legationibus, inque iis Antiquæ Vrbis Maiestatem velut ob oculos positam contemplans, παρῳδικῶς ita conuertebam:

Quæ tam seposita est. quæ gẽs tã dissita. PAVLLE,
Ex quâ Legatus non sit in Vrbe tuâ?

Venit

Venit ab extremis Libyæ submissus arenis
Hinc, vbi longæuus pondere nutat Atlas:
Venit ab Inachiâ numerosus Perside cultor,
Venit odoratâ missus ab Armeniâ:
Et qui Sarmaticis armatus colla sagittis
Prouocat hostiles ad fera bella Getas:
Aurea vix notos tibi subdidit India ciues,
Et tremit imperiis vltima terra tuis.
Dispare voce sonant; cunctorũ vox tamen vna est,
Vnum dum cunctis diceris esse caput.

Vnum certè cunctis spectabile caput ROMANVS PONTIFEX illius ECCLESIAE quæ velut *Lucerna in monte posita*, aut *pulchra vt Luna, electa vt Sol, formosa vti Aurora consurgens* ab omnium gentium hominibus, in Spiritu sancto congregata, vnica spectatur & colitur. De quâ Ecclesiæ, eiusque in terris Capitis conspicuâ Monade diuinè olim dictum ab Optato Mileuitano: *Igitur negare non potes* [ô Donatista] *scire te in* VRBE ROMA PETRO *primò* CATHEDRAM EPISCOPALEM *esse collatam, in quâ sederit omnium* APOSTOLORVM CAPVT PETRVS, *vnde &* CEPHAS *appellatus est; in quâ* VNA CATHEDRA VNITAS AB OMNIBVS SERVARETVR: *ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent. vt iam Schismaticus & Peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.* Neque aliâ sanè de caussâ Diuina olim Prouidentia totum pænè Terrarum Orbem sub vnius Vrbis dominatione constrinxit, nisi vt verâ postmodum accedẽte Religione, sub vnius Pacis fœdere gentes omnes continerentur. Quâ in re eximium illud & verè magnum, à

Serm. 1. de SS. Apost.

LEONE illo MAGNO, teſtimonium producam: *Iſti ſunt* [PRINCIPES APOSTOLI] *qui Te, ô* ROMA, *ad hanc gloriam prouexerunt, vt Gens ſancta, Populus electus, Ciuitas Sacerdotalis & Regia per ſacram* B. PETRI *ſedem* CAPVT ORBIS *effecta latiùs præſideres religione Diuinâ quam dominatione terrenâ. Quamuis enim multis aucta victoriis ius Imperij tui terrâ mariq́; protuleris, minus tamen eſt quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod Pax Chriſtiana ſubiecit. Diſpoſito namque diuinitùs operi maximè conueniebat vt multa regna vno confœderarentur Imperio, & citò peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.* Et ibidem iterùm: *Beatiſſimus* PETRVS, PRINCEPS APOSTOLICI ORDINIS, *ad Arcem Romani deſtinatur Imperij, vt lux Veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum Mundi corpus effunderet. Cuius autem Nationis homines in hac tunc Vrbe non eſſent? aut quæ vſpiam gentes ignorarent quod* ROMA *didiciſſet?* Quibus pænè gemina ſcribuntur apud Aratorem in Actis:

lib. 2. hist. Ap.

PETRVS *in* ECCLESIAE *ſacrato corpore Princeps;*
Hæc turrita caput Mundi circumtulit oris
Conueniunt meliora ſibi, ſpeculentur vt omnes
Terrarum dominæ fundata cacumina SEDIS.
Gentibus electus PAVLLVS *ſine fine Magiſter,*
Aequiùs his Præſes oris diffundit habenas,
Quæ gentes prælata monet, quodq́; intonat iſthic
VRBIS *cogit honor ſubiectus vt audiat Orbis.*

Romam incelligit.

fortè leg. hac præses orâ.

Venuſtiſſimum certè illud quod ab eodē Poëtâ in eumdem ſenſum dicitur:

Duo

— *Duo* LVMINA MVNDI
Deueniſſe ſimul, tantiſq́; è partibus vnum *Ibidem.*
Delegiſſe locum per quem ſua ſidera iungant.

Pari ratione D. Chryſoſtomus, Principes Apoſtolorum, *binos Vrbis oculos*, & *geminas Mundi Lampades* dixit, inter alias piiſſimas & elegantiſſimas comparationes. Illa ergo Ciuitas quaſi fataliter ad dominandum Chriſtianis etiam Populis electa, quę à Poëtâ quondam ſuo vaticinante audiuit: *In c.16. ad Rom.*

Tu regere imperio populos, ROMÁNE, *memento:* *6. Aeneid.*
Hæ tibi erunt artes, Paciſq́; imponere leges,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Et à peregrinâ virilis enthuſiaſmi feminâ: *Erinnâ poetriâ.*

Σοὶ μόνᾳ πρέσβιστα δέδωκε μοῖρα
Κῦδος ἀῤῥήκτω βασιληΐον ἀρχᾶς,
Ο'φρα κοιρανήϊον ἔχοισα κάρτος
Α'γεμονεύῃς.

Quod Lipſius Latino carmine ſic expreſſit: *in Admirandis.*

Nam dedit ſoli tibi cana Parca
Regium ſceptrum minimè atterendum:
Vt potens rerum domineris vna,
Imperiteſq́;.

Populi igitur Sanctioris huius Imperij legibus adſtricti meritò τὴν Ῥωμαίων οὐρανόπολιν, quæ nunc, *cælestem Romanorum Vrbem.*

— *quicquid non poſſidet armis,* *Proſper.*
Relligione tenet;

Anno Romano Solenni eâ frequentiâ inuiſere ſolent, quæ videntibus ſtuporem, Sacris ipſis dignitatem, Deo ac cæleſtibus lætitiam & voluptatem affert. Cui ſacræ frequentiæ illud olim à Rege Prophetâ velut decantatum eſt: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.* *Pſalm. 46.*

Psalm. 65. *tionis.* Item illud : *Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.* Quidni enim plaudat manibus, & iubilet, Flos Christiani Orbis in vnum locum collectus, cùm non in vnâ gente, vel populo, vt quondam apud Hebræos; sed in vniuersum terrarum orbem publicetur Annus veræ Libertatis ac Remissionis : Annus Deo & hominibus acceptus, Satanæ formidabilis, Impietati exitiosus? cùm Iustis pietatis suæ merces accrescit, Iniustis, si *conuersi fuerint ab impietate suâ*, pax & venia conceditur? cùm Deo ac Diuinis honor additur? cùm Ecclesiæ, quæ in igne est, cælestis Patriæ spes certa tribuitur? denique ea omnia hominibus conceduntur queis nec animus maiora optare, nec cælestis beneficentia meliora possit elargiri?

CAPVT XXIV.

Pontificum Maximorum paterna in Annum Sacrum Prouidentia. Ciuium ac Principum Romanorum mira in exteros, & verè Christiana, Benignitas.



Icuti cælestis Prouidentia in illâ Vrbe quæ, veteri Priuilegio, *Mater & caput Vrbium est*, Ecclesiæ eius fundamenta posuit, *quæ Ecclesiarum omnium Parens & Vertex est*; ita Spectabilis eius in Terrâ Capitis

Pon-

Pontificis Maximi cathedram illhîc collocatam voluit, quem alterum Orbis Parentem, saluâ Numinis magnitudine, Orthodoxi iurè appellamus. Hunc & *Vniuersalis Ecclesiæ Pontificem*, & *Episcopum Episcoporum*, & *Sanctissimum ac Beatissimum Præsulem*, plerumque tamen sacra Ecclesiæ monimenta blandissimo nomine Papam, vel Patrem appellāt. Quemadmodum enim is qui ἐν τοῖς οὐρανοῖς, cæli ac terræ formator, amabili potiùs Patris nomine, quàm Domini cōpellari à nobis voluit; ita is, qui Vicariam eius potestatē obtinet, cùm Clementiæ ac Misericordiæ Diuinæ fidelis dispensator sit, Paternis Titulis non immeritò vocatur & scribitur. Equidem cùm boni Parentis officium sit quæ ad liberorum incolumitatem pertinent in animo & in corpore curare; id etsi nullo non tempore, præcipuè tamen Anno Sacro in Pontificibus Maximis elucet. Ex illo enim *Remissionis* beneficio quod Christiano Orbi indulgent, quantum diuiniori hominis parti consulant, intelligitur: cùm verò Annonæ abundantiam, hospitiorum commoditatem, viarum & itinerum securitatem peregrinantibus præstant, quæ corpori eorum curando ac conseruando necessaria sint, non omittere eos apparet. De quâ Sanctissimorum Mundi Præsulum sollicitudine dictum est ab Aur. Cassiodoro: *Pascitis quidem spiritualiter commissum vobis gregem, sed nec illa potestis negligere, quæ corporis videntur substantiam continere. Nam sicut homo constat ex dualitate, ita boni patris est vtraq; refouere. Primùm penuriam temporis, quam delicta promerentur,*

in cælis.

Lib. 12. Var. ep. 2.

merentur, orationibus sanctis amouere; si quid tamen (quod absit) acciderit, tunc bene necessitas excluditur, quando contra eam sub vbertate tractatur. Hanc necessitatem, siue penuriam, cæteraque eius incommoda, egregiè exclusisse legitur NICOLAVS V. Pontifex egregius, de quo Platina: *Cauit etiam diligentissimè nè abundante tantâ multitudine, commeatus & omnia ad victum necessaria in Vrbe deessent. Curauit item exsecrationibus & satellitibus ne grassatores in Peregrinos ad Vrbem accedentes sæuirent.* Et paullò antè de eodem: NICOLAVS *autem Pontifex, totam Italiam ad arma concitari cernens, auctoritatem suam sæpiùs interposuit quò pax componeretur, vt sequenti anno liberè omnibus ex totâ Europâ ad Iubileum venire liceret.* Pia etiam illa ac verè paterna sollicitudo SIXTI IV. Pont. de quo apud eumdem scriptorem legitur, *Pontem Ianiculensem*, quem *Ruptum* ciues appellabant, magnâ curâ & impensâ è lapide Tiburtino reparari iussisse: *Xenodochium* illud nobilissimum, quod S. SPIRITVS vocant, obsoletum ac sordidum & vetustate pænè collapsum, totum vsque ad solum disiecisse, & pulcherrimis ædificiis, in meliorem splendidioremque formam, ampliâsse: *Pueros expositos, puellasq; alimentarias*, ad pedes suos cum nutricibus prostratos, loco habitandi iis assignato dotauisse: *Nobilium* quoque calamitate & ægritudine permotum, seorsum à promiscuâ plebe loca idonea decenterque ornata his attribuisse. De IVLIO III. Viro etiam Magno, apud Onuphrium legitur, *Cùm Vrbs graui frumenti inopiâ laboraret.* [Anno Seculari M.D.L.]

In eius Vitâ.

Ibidem.

In eius Vitâ.

In Vitis Platinæ additis.

tritico

tritico aduecto famis incommoda, quantum potuit, subleuasse. GREGORII item XIII. CLEMENTIS VIII. PONTT. MAXX. celebratissima heic Prouidentia est, à victuro aliquo stylo, cum sanctissimâ eorum vitâ, Heroicisque actionibus aliis, digna prædicari. De VRBANO VIII. hodierno Principe compertum habeo quòd vias in Latio magno impendio sterni curauerit: Pontem *Senatorium*, quem D. MARIAE nunc vocant, VII.∞. impensâ reparauerit: Annonam è Siciliâ & Regno Neapolitano, missâ Legatione, aduehi curauerit: P.R. Ærarium ad sustentationem egentium peregrinorum liberalitate suâ auxerit: mare tutum nauigantibus nouâ institutâ Militiâ reddiderit: denique alia multa præstiterit quæ non breuis Elogij titulum, sed iustum sibi Panegyricum quærerent. Cuius Principis virtuti sicut Orbis Christianus, Dignitati eius submissus, fauet; ita Encomium illud è sanctissimo Martyre & Antistite Moguntino optimè adscribi posse videtur: *Quod si (vt summopere sibi & bonis omnibus expedit) zelo domus Dei sine intermißione tabescens* [ROMANVS PONTIFEX] *Fidelis Dispensator & Prudens, Deo & hominibus opere & sermone irreprehensibilem sese conseruare studuerit, vt verè fatear, vniuersum penè Mundum secum attonitum & sollicitum post* DEVM *currere facit: ex vtroq; sexu populos diuersæ profeßionis, conditionis, & ætatis, cateruatim in Domino suo super omnia bona ipsius constituendus ducit.* Annus certè Secularis, quem ingredimur; Tempus Sacrum, quod ordimur, dictis meis fidem adstruet si modò (quod Diuina auertat

D. Bonifacius in Epistolis.

Benignitas) medium Virtutum eius cursum fatalis aliqua sors non interruperit. Hanc SACRATISSIMORVM PRINCIPVN φιλοστοργίαν, ac prolixam in omne Humanum Genus Beneuolentiam, Principes ac Ciues Romani ANNIS IVBILEIS diligenter æmulari soliti, magnum in se populorum affectum & amorem omni æuo conciliârunt. Quis enim non amet eam Ciuitatem cuius Principes videat, omni stemmatum genere clarissimos, pauperculis hominibus ad mensam ministrantes? pedes in pelui abluentes, ac linteo detergentes? vlcera eorum & ἀποστήματα curantes? ægrotis humanissimè assidentes, eosque consolantes, ac necessaria omnia administrantes? tam pro se, quàm pro populo Dei, flagellis nuda corpora proscindentes? ieiuniis ac vigiliis sese macerantes? largissima Donatiua Veteri generositate in egena CHRISTI membra diuidentes? Quis populum illum non æstimet cuius ciues Principum virorum calore incitati omnia Pietatis exempla præbeant? omnia Benignitatis officia præstent? omnia Hospitalitatis iura cum pauperrimo etiam & miserrimo quoque exerceant? Eant nunc isti execrandorum venenorum collectores qui VRBEM SANCTAM, GENTEM ELECTAM, CIVITATEM REGIAM AC SACERDOTALEM, præpudiosis ac nuper natis ad Geneuæ lacum Titulis, inscribere non erubescunt; ego nefandis eorum scriptis ac calumniis, pia Ciuium & Principum Romanorum opera: ego virulentis eorum toxicis, amuletum ex VRBANA MANV proponam. Hauri mecum, Lector,

propensam charitatem.

Leo Magn.

VRBANI fel. VIII. PONT. MAX.

ctor, & rumina: nam ex illo Myrothecio est, cuius ἀλεξητήριον experieris: amuletum.

ROMA sibi quondam quæ robore subdidit orbem,
Argiuo ROBVR nomine significat.
Obsita tunc tenebris taurino polluit aras
Sanguine, cùm faceret sacra nefanda Ioui:
Vertit ab his mentem cultus exosa Deorum,
Et Veri floret relligione DEI.
Si nomen vertas, AMOR est. vt congruit? illi
Nam pius in populos cuncta subegit AMOR.

Verè *pius* ille *Amor*, cuius impulsu & instinctu Vrbs Domina, populos etiam maximè inimicos ac remotos,

—sola recepit
Matris non Dominæ ritu, ciuesq; vocauit Claudian.
Quos domuit. nexuq; pio longinqua reuinxit.

nexu scilicet illo veræ Relligionis ac Pietatis, quo gentes omnes Orthodoxæ fœderatæ continentur: qui amabilem illam atque admirabilem τῶν ἁγίων κοινωνίαν continet, nullis terrarum limitibus, nullis Oceani finibus circumscriptam. sanctorum communionem.

CAPVT XXV.

IVBILEVM extra Ordinem non rarò, & quibus de caussis, concedi. IVBILEVM Priuatorum *Anni Quinquagesimi, eiusq; origo discussa. Pseudo-Iubileum sectæ* Lutheranæ. *Operis conclusio* κορωνιστική.

IVBILEVM esse aliquod *extra Ordinem* publicè concedi solitum, initiò à nobis assertum est, cùm partes IVBILEI vniuersas proponeremus. Gratiâ quidem illud ac Indulgentiâ ab *Ordinario* non differt; indictione differt, quòd ea arbitraria sit, ac variis de caussis, iustis tamen atque legitimis, omni tempore fieri consueuit. Plurimis verò earum prætermissis, quæ à Theologis ac Decretorum interpretibus commodè peti possunt; insigniores sunt illæ, quando Militantibus in Expeditione Sacrâ, vel eam promouentibus, Remissio criminum plenissima conceditur. Qualis omninò fuit nondum IVBILEI nomen adepta, sed CRVCIATÆ titulo proposita sub VRBANO II. Pont. Max. in nobili illo bello *a* quod in Saracenos, Terræ Sanctæ recuperādæ ergo, generosissimus Dux GODEFRIDVS BYLIONIVS mouit, Anno Christiano CIↃ. LXXXIV. Talis etiam Pontificatu *b* IOANNIS XXIII. & HONORII II. publicata in eorum vtilitatem qui iura Ecclesiæ

a Platina in Vrb. 1. Guil. Tyrius lib. 1. c. 15.

b Baron. ad annum 1127. Aen. Sylu. Hist. Boem. c. 55.

contra rebelles, atque inuasores defendissent. Talis item tempore BONIFACII c IX. indicta, suppetias ferentibus Imperatori Byzantino contra terrorem illum Orientis Scytham Tamerlanem. Talis denique nostrâ memoriâ concessa à Pio V. & GREGORIO XIII. Pontt. propter apparatum belli Naualis in Othomannicam gentem: quem nobilis illa victoria ad Echinadas insulas consecuta. Quâ quidem Gratiâ ac Remissione non modò milites ipsos aut Duces, sed & eos qui fauorem, auxiliũ, opem, quà Diuinam quà Humanam, impenderent donari consueuisse, ex Diplomatibus Pontificiis apparet. Solet etiam IVBILEVM extra ordinem dari Precantibus pro salute Regni alicuius, aut Prouinciæ in adflictione positæ: vt à GREGORIO XIV. concessum est Anno CIƆ. IƆ. XCI. eo scilicet tempore quo regnum Galliarum, pars Orbis Christiani quondam florentissima, intestinâ seditione penè consumptum miserabilem omnibus sui speciem præbuerat. Quam Præcessoris sui συνωνύμου pietatem æmulatus GREGORIVS nuper XV. perspectis Galliæ Belgicæ calamitatibus, iam quinquaginta, & ampliùs, annis ciuilibus bellis miserabiliter attritæ, simili malo simile antidotum applicuit Anno CIƆ. IƆC. XXII. cuius sacræ PONTIFICIS Memoriæ ἐπιτάφιον hoc μνημεῖον, auditâ eius morte, meritissimò ponebam.

c Thom. VValsinghamus & ex eo Bzou.

cognominis.

Epitaphij monimentũ.

Quàm breuis ancipiti sors omnia sidere verset
Exemplo ostendunt maxima quæque suo:
En qui terrarum senior comprendere habenas
Cœperat, ætherias & subiisse vices:

 Cuius

Cuius adoratis tellus dedit oscula plantis,
Quem Dominũ agnouit Martia ROMA *suum,*
Quem sibi Romulidum præfulgens murice Patrem
Curia non vanis legerat arbitriis:
Ereptus subitò rebus regnisq; caducis
Angustâ tegitur nunc LODOVISVS *humo.*
Immortale tamen Virtutum nomen in orbe
Restat, & extinctos Gloria post cineres:
Quæ miseris procul à curis stabiliuit Olympo,
Regna vbi terrenis nobiliora gerit.

Similia antedictis sunt ea IVBILEA, quæ pro incolumitate Ecclesiæ vniuersæ, pro Principum Christianorum Pace & Concordiâ, pro Schismatum & Hęreseωn extirpatione, cōcedi solent: quale non ita pridem suscepimus à CLEMENTE VIII. Anno videlicet CIƆ. IƆ. XCVII. & nuper à PAVLLO V. Anno pręsentis Seculi VIII. Pontificatus sui IV. Vel pro felicibus initiis Nouorum Pontificum; quale postremũ fuit GREGORII XV. LVDOVISII. Anno huius Seculi XX. nam VRBANVS VIII. paullò hîc restrictior fuit, ob instantem *Ordinarij* IVBILEI solennitatem. Illud verò heic monendum occurrit, IVBILEVM *Extraordinarium* non videri appellandum quod, Anno Sacro Romæ finito, ad alias Prouincias extendi solet; cùm illud *Ordinarij* ac Stati, in capite celebrati, per vniuersa *Christi Corporis* membra quædã potiùs propagatio sit, quàm nouæ Gratiæ elargitio. Alias IVBILEI eius caussas alibi, vti dixi, petendas relinquo: nobis nobiliorem quamque attigisse suffecerit, & κατὰ κεφάλαιον (vt Græci aiunt) hanc doctrinam tradisse. Summatim.

Est

Est verò ἀξιομνημόνευτον IVBILEVM quoddam (ita vocant) Priuatæ consuetudinis, cùm scilicet aliquis sanctiori vitæ addictus *Quinquagesimum* Ordinis, Voti, aut Sacerdotij annum impleuit: vel cùm ij, qui coniugalem vitam ducunt, indiuiso toro eum annum attigerunt. Solent enim gratiis Deo solenniter actis, Genialique epulo amicis dato, Nouum veluti Seculum condere, & Priuilegiis quibusdam ac Remissionibus, si Monasticâ lege constricti sunt, deinceps gaudere. Quo in genere nuper spectatu dignum fuit Solenne illud, quod Illustrissimus Mechliniensium Antistes MATTHIAS HOVIVS ciuitati suæ præbuit, Anno CIↃ.IↃC.XVII. qui ipsi à suscepto Sacerdotio Quinquagesimus fuit, magno sacræ Magnificentiæ apparatu, & celeberrimâ Antistitum Belgicorum, ac multitudinis promiscuæ, ad rei nouitatem vndique concurrentis, frequentissimâ panegyri. Huius cærimoniæ Ritum etsi à IOBELO Hebræorum deducat Episcopus Ruræmundēsis, & vulgo IVBILEARII vocentur huiusmodi felicitatem adepti; ego potiùs crediderim à *Leuitarum* priuilegio fluxisse, quibus eâ ætate dimissio à seruitio Tabernaculi indulgebatur. Ita enim Num. VIII. legimus: *A viginti-quinque annis, & suprà, ingredientur* [LEVITAE] *vt ministrent in Tabernaculo fœderis. Cumq; Quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessabunt, eruntq; ministri fratrum suorum in Tabernaculo fœderis, vt custodiant quæ sibi fuerint commēdata: opera autem ipsa non faciant.* Eâ etiam ætate apud quasdā nationes Missio à militiâ impetrabatur, teste Macrobio in Excerptum M. Tullij de

memoratu dignum.

Quæst. 1. de Iubil.

lib. 1.

de somnio Scipionis. Quin apud Romanos, accuratæ disciplinę magistros, Pediti post XX. Equiti post X. annorum confecta stipendia Libertas & immunitas concedebatur. Hoc tamen distat Sacra nostra Militia à Profanâ, quòd plenam numquam Missionem impetret in hac vitâ, DEO à suis exigente vt *in finem vsque* laborantes *perseuerent*, quò coronam illam in cælestibus percipiant sine fine duraturam.

Lips. lib. 5. de Mil. Rom.

Matth. 24.

Seculo autem nostro GERMANIA (vt monstrorum proh! dolor, ferax esse cœpit, non minùs quàm Africa) PSEVDO-IVBILEVM vidit, & videndo ingemuit, Ecclesiæ Lutheranæ Anno CIↃ.IↃC.XVII. illum Secularem Centesimum esse iactantis, quo Euangelicæ Veritatis (si DIs placet) lux per Lutherum mundo alluxisset. cuius funestam Festiuitatem iidem ipsi qui celebrauerāt editis Francofurti libellis, rudi impietate, sed exercitatissimâ calumniandi peritiâ refertis, publicam esse iusserunt. At non defuit vir doctus qui inconditos eorum & agrestes *βυκολισμὺς* vrbano sale eleganter defricuit: cuius, inter cætera, præclaram hanc sententiam legimus: *Inter tot mutationes* [quot passa est eo Seculo Lutherana superstitio] *tot conflictus, proscriptiones, anathemata, animarum exitia, concussiones R. P. non esse iubilandum. mœstum esse gaudium cuius caussa lugenda est.*

Adam. Contzen. S. I.

Vos autem quibus vera *Iubilandi* ac *seruiendi Domino in lætitiâ* caussa est, ROMANAE ORTHODOXAE ECCLESIAE FILII, quacumque tandem estis terrarum regione dispersi, *ascendite ad diem festum hunc*, diem veri gaudij, diem solennitatis

Psalm. 99.

Ioan. 7.

tatis & lætitiæ, *introite in conspectu Domini in exultatione, introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis, & cōfitemini illi*. Introite atria illa sacrosancta ROMANAE VRBIS, sanctissimorum pignorum præsentiâ, ac Dei Maiestate, plena. Illhîc *effundite corda vestra*, illhîc delictorum vestrorum orate veniam, illhîc Vota concipite vobis ac R. P. CHRISTIANAE publicè priuatimque salutaria. Concipite, inquam, impetrandi securi, ac Diuinæ Indulgentiæ confisi. *Oculi* enim eius *ad fideles terræ, vt sedeant* cum ipso, in tranquillitate animi, & quiete. *Elegit nobis hereditatem suam, speciem IACOB quam dilexit*. IACOB enim elegit Dominus Romanæ mansuetudinis, Esau contentionum Hæreticarum reiecto ac fastidito. Concipite Vota tempore hoc, quod Indulgentiâ suâ ac Remissione votum omne superat: quo *Dominus in terram adspexit vt audiat gemitus compeditorum, & soluat filios interemptorum:* quo *prædicatur Annus placabilis Domino, dies salutis* ac lætitiæ generi humano. *Beatus populus* (ait Regius Propheta) *qui scit* IVBILATIONEM. Beatissimi illi, qui in populo sancto & electo *gratiam Dei in vacuum non recipiunt*, neque, porcorum instar, oblatas sibi *margaritas* fastidiunt, sterquilinio suo contenti; sed *inuentâ vnâ pretiosâ*, è cælestibus Thesauris depromptâ, *comparare* eam satagunt, reiectisq; impedimentis acquirere moliuntur. Hæc est vera illa lætitia Filiorum Dei & Ecclesiæ; hæc *Iubilatio* & Deliciæ pœnitentis animæ, & amari cordis, *cuius gaudio non miscebitur extraneus*, hæc vera illa felicitas, de quâ iure maximo dicemus,

Psalm. 99. *Psalm. 61.* *Psalm. 100.* *Psalm. 46.* *Psalm. 101.* *Luc. 4.* *2. Cor. 6.* *Psalm. 88.* *2. Cor. 6.* *Matth. 7. 13.* *Prou. 14.*

Felices

Virg. in Ciri. *Felices qui talem annum videre, diemq́;!*
Psalm. 33. & 144. Felices, qui *gustabunt ac videbunt quàm suauis est Dominus*, & quàm *miserationes eius super omnia opera eius!*

FINIS,

AD

DEI OPTIMI MAXIMI,

&

DEIPARÆ VIRGINIS

GLORIAM.

INDEX CAPITVM

HVIVS SYNTAGMATIS,

QVO

OPERIS TOTIVS SVMMARIA

CONTINENTVR.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

CA-

CAPVT VII.

CAPVT VIII.

CAPVT IX.

CAPVT X.

CAPVT XIIX.

CAPVT XIX.

CAPVT XX.

CAPVT XXI.

CA-

CAPVT XXII.

CAPVT XXIII.

CAPVT XXIV.

CAPVT XXV.

INDEX,
SIVE
NOMENCLATOR AVCTORVM.
QVI
PASSIM HIC CITANTVR ET ILLVSTRANTVR, QVORVMVE INDVSTRIA ADIVTI SVMVS.

EX ANTIQVIORIBVS.

A



Cta diuerſorum Martyrum.
Æl. Spartianus.
Æl. Tubero.
Agellius.
Albericus Roſatenſis ſiue, de Roſate.
Alcimus Auitus.
S. Ambroſius.
Ammianus Marcellinus.
Ananias I.C.
Anaſtaſius Bibliothecarius.
Annales Francorum Pithoei.
Annales Veteres Eccleſiæ Aurelian.
D. Antoninus, Archiepiſc. Florent.
Appion Grammaticus.
Appuleius.

Arator.

Guilielmus

E RECENTIORIBVS.

Christo-

FINIS.





